CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS PARAPHRASI CONTINUA...

Arnold Cathius

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS

PARAPHRASI CONTINVA ENARRATVM:

Additis NOTIS ad vſum CONCIONATORVM, & LECTORVM pietatem.

Auctore ARNOLDO CATHIO Societatis IESV Theologo.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
Apud Balthaſarem Moretum, & Viduam Ioannis Moreti, & Io. Meurſium.
M. DC. XXV.

REVERENDISSIMO
AC
PERILLVSTRI
DOMINO
D. IOANNI
MALDERO
ANTVERPIANÆ
ECCLESIÆ
EPISCOPO.

SVLAMITIS, REVERENDISSIME DOMINE, amans ſimul & amata SALOMONI cæleſti Sponſa, in Cantico canticorum caſtiſſimi amoris ſui hiſtoriam

enarrat; ſed non inuenuſto allegoriæ velo tamquam flammeo operta nuptiali. Illud ego, quà licet, Paraphraſi meâ detractum eo, & ſic ipſam in publicum produco. Ne autem ſola virginali verecundiâ ad circumfuſæ multitudinis oculos erubeſcat, ſanctorum antiquorumque Patrum venerabili ac verè ſenatoriâ laticlauiorum pompâ malui prodire comitatam. At quaſi neque ita pudori ſatis conſultum ſit, adhuc in inſolitâ luce vmbram circumſpicit. Suſcipe eam, quæſo, REVERENDISSIME ANTISTES, vt tuo obumbrata patrocinio, intuentium oculos minùs diſcat formidare. Neque, vt confido, à dignitate tuâ alienum iudi-

iudicabis, paſtoritiam puellam defendere, cùm Paſtorum Princeps Teipſum huic vrbi, in quâ illa primùm lucem videt, Paſtorem & Epiſcopum animarum conſtituerit: quo nomine quantum ſibi gratulationis Antuerpia debeat, ex Louanienſi Scholâ diſcere poſſet, quam viuâ voce inſtruxiſti, niſi Eccleſia vniuerſa tuis doctior ornatiorque lucubrationibus, quaſi luce magis lucidâ, id quod in aliis ſummum, in te certè minus eſt, obfuſcaret.

Sed in tuas laudes hîc non excurram, ne ad ſolem faces. Cæleſtem Sponſum precor, vt te Sponſæ ſuæ Paranymphum, certè Patronum, quàm diutiſſimè ſer-

uet incolumem. Antuerpiæ, ipſo S. Thomæ Aquinatis feſto, anno æræ Chriſtianæ CIↃ. IↃC. XXV,

REVERENDMAE D. T.

Seruus in CHRISTO

Arnoldus Cathius.

IN-

INTRODVCTIO PRÆVIA
IN
NOSTRAM PARAPHRASIN
AD
LECTOREM.

CAPVT PRIMVM.
Instituti nostri scopus.

CANTICVM *canticorum Salomonis opusculum est, Amice Lector, mole exiguum, rerum momento longè amplissimum. Eius difficultatem Hebræorum probat traditio, quâ eius lectio ante ætatem Sacerdotalem, id est, si S.Hieronymo credimus, ante trigesimum ætatis annum, nulli concedebatur: sed par difficultati fructus multorum ingenia ad eiusdem explicationem exciuit; adeò vt superuacaneum videri posset, post tot primi, medij, nostri æui, ab ingenio, eruditione, diligentiâ instructißimos viros, manum illi vltrà velle admouere. Quòd si* Orig. Hom. 1. in Cant. Præfat. in l. 1. Comment. in Ezech.

iam tum suo æuo causam inuenit Salomon,
Eccle.12. v.12. *cur diceret,* Faciendi plures libros nullus est finis; *quid iam diceret idem, si conspiceret, circa vnum hoc argumentum quotannis ferè nouos Scriptores iterumque iterumque desudare? Verùm apud æquos iudices laudem, credo, nedum veniam merebitur pietati studens, & non noua, quod iam olim in*
Lib. contra prof. hær. nouitates. *Ecclesiâ Vincentius Lyrinensis præscripsit, sed nouè instruens industria: nimirum*
Sap. 6. v.26. multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. *nec nouum fuerit, si vnus & idem cibus, solâ condimenti diuersitate variatus, stomacho aliàs fastidienti dolo bono fucum faciat. Itaque & mihi propositum habui, non quidem alia quàm alij, sed tamen aliter dicere. Neque enim semel hunc in modum cogitationem institui: vt exulcerati hominum mores omnia paulò acerbiora medicamenta auersantur, nisi gratâ quadam dulcedine attemperentur gustui, & etiam sensui adulentur; ita non leue operæ pretium fore, si amicabili quadam & ingeniosâ solertiâ infirmitati illi hominum obuiàm veniatur:*

niatur : quod non inuenustâ comparatione antiquus apud Romanos aut Poëta, aut potiùs Philosophus declarat:

——Veluti (*inquit ille*) pueris absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circùm
Contingunt mellis dulci flauoque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus; intereà perpotet amarum
Absinthî laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potiùs tali facto recreata valescat. Lucret.l.1. & iterùm lib.4.

Idipsum mei hîc consilij fuisse, ipsius Operis decursus ostendet. Vt autem tu, Amice Lector, instituti mei rationem initiò perspicias, quod non meâ tantùm, sed & tuâ interesse iudicaui, aduerte, cæleste Salomonem Sponsum hîc à me statui. Feci id, illos omnes imitatus, qui sanâ mente in hac palæstrâ desudarunt : neque enim illi ad aures, nedum

ad animum admittendi sunt, qui impuros terreni Regis amores hîc putant celebrari. Sponsa anima est Dei amans, amata Deo. Neque hoc ab Auctoris mente iudicabit alienum, quisquis intelliget, Salomonem, cuius lingua hîc calamus scribæ velociter scribentis fuit, tria Opuscula sua, puta Prouerbia, Ecclesiasten, & hoc Canticum, ita distribuisse, vt post lapsum resipiscens (ita enim non sine magnorum virorum exemplo sentio) omnes, quibus exemplo suo in deteriorem partem præiuerat, salubriori instituto in viam salutis contenderet reuocare; & quasi se sapientibus & insipientibus debitorem agnosceret, primum opusculum incipientibus, proficientibus secundum, tertium perfectis destinaret. Audiatur S. Hieronymus inter sacræ Scripturæ interpretes, vbi literæ sensus excutitur, vnus instar multorum: qui de Salomone loquens, Is, *inquit,* iuxta numerum vocabulorum tria volumina edidit; in Prouerbiis paruulum docens, & quasi de officiis per sententias erudiens: vnde & ad filium eius sermo

In Ecclesiasten, initio.

mo crebrò repetitur: in Ecclesiaste verò maturæ virum ætatis instituens, ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca & breuia vniuersa quæ cernimus. Ad extremum consummatum iam virum & calcato sæculo præparatum, in Cantico canticorum Sponsi iungit amplexibus: nisi enim priùs reliquerimus vitia, & pompis sæculi renuntiantes expeditos nos ad aduentum Christi parauerimus, non possumus dicere: OSCVLETVR ME OSCVLO ORIS SVI. *Hæc S. Hieronymus. Vt ergo præcedentes libri singularum animarum profectum spectant; ita à Scriptoris mente nihil iudicandi sumus alienum dicere, cùm eumdem hîc inquirimus. Nihil interim aliorum explicationibus detractum volo, qui allegorico sensu Sponsæ nomine aut Ecclesiam ipsam, aut etiam Beatissimam Virginem Deiparam intelligunt. Scio sacras Scripturas non vnum tantùm sensum recipere. Et S. Augustini placitum non semel legi:* Cùm alius dixerit, Hoc sensit (*Auctor* S. August. l. 12. Confess. c. 31.

secun-

ſecundarius Scripturæ, qualis in Pentateucho Moyſes, in Pſalmis Dauid, hîc Salomon) quod ego; & alius, Imò illud quod ego: religioſiùs me arbitror dicere; Cur non vtrumque potiùs, ſi vtrumque verum eſt? & ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omnino aliud quiſpiam in his verbis videt; cur non omnia vidiſſe credatur, per quem vnus Deus Sacras literas vera & diuerſa viſuris multorum ſenſibus temperauit? *Ita ille. Quòd ſi hoc de homine ſecundario Scripturæ Auctore Magnus ille Doctor ſenſit; multo minùs dubitandum eſt, Spiritum ſanctum & potuiſſe & voluiſſe plura illa vno loquendi modo inſinuare.*

CAPVT II.

Cui Lectori hæc ſcripta, & totius Operis partitio.

AMATORIVM *dubio procul hoc poëma eſt, ab amante Sponſâ decantatum. Non eſt tamen, quod hîc erubeſcat quamuis caſta virgo. Hoc tale è Republ. ſuâ num-*

numquam exegisset Plato: imò verò ego hîc multò, quàm ille, acriùs

Odi profanum vulgus, & arceo.

Exeste ex hoc sacrario impuri, exeste impudici Veneris nepotuli, exeste qui mentem huc minùs castam adferretis. Non audiantur hîc, qui sacratissimæ Sponsæ nomine nescio quam Pharaonis filiam, aut Abisag Sunamitidem obtrudere contendunt, & quasi pro speciosißimâ Rachele lippientem Liam ingerere. Iterùm iterumque & seriò edico:

—Procul hinc, procul este profani.

Foris canes, & venefici, & impudici. Apoc.22. v.15.

Hîc intus nihil non sanctum, nihil non diuinum: faces hîc sunt, sed ab illo igne, quo Seraphim ardent, quo animæ sanctiores ad Eliæ modum in cælum abripiuntur, quem ipse venit in terras mittere Christus; qui denique ipso Pentecostes die capitibus insedit Apostolorum. Nihil sui cum amaraco. In rosis scarabæis mortē esse autumant, vtrùm sit nescio: hoc scio, quod profiteor, hîc certißima

Mors est malis, vita bonis:

Vide

Vide paris lectionis
Quàm sit dispar exitus.

Etsi ergo optimus hic odor spirat, ut cum
2.Cor.2. v.15. *Apostolo dicere liceat,* Christi bonus odor sumus: *est tamen, ut idem ibidem addit;*
v.16. aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam.

Verùm hæc omnia, Castæ, Sanctæque, ac Deo dignæ Mentes, nihil vos morentur, quò minùs hanc vobis destinatam orchestram ingrediamini. Ut autem totius Operis prægustum aliquem, quod in scenicarum actionum Prologis interdum fieri solet, præcipiatis, primùm aduertite, in mysticâ mystici Salomonis aulâ varia esse munia, varias dignitates: sunt enim ibi nobiles adolescentulæ; sunt concubinæ, de quibus mox fusiùs; sunt Reginæ; est prætereà una omnibus aliis antistans, & apud Regem gratiosissima. Hæ, sed & earumdem numerus recensetur Cantici huius cap. 6. vers. 7. & 8. Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & Adolescentularum non est numerus. Vna est colum-

ba

ba mea, perfecta mea, *&c. Et hæc est illa, quæ infrà sexti cap. vers. vlt. & septimi primo, proprio nomine* SVLAMITIS *vocatur: non, vt perperàm in quibusdam codicibus legitur*, Sunamitis. *Hæc ergo toto hoc Cantico enarrat, quomodo extra Adolescentularum gregem emergens, primùm intra Concubinas recepta sit; deinde, quomodo promota fuerit ad dignitatem Reginarum; posteà, quomodo omnibus aliis prælata, Salomoni suo facta fuerit familiarissima: denique, ne pulcherrimum drama conuenienti non concludatur catastrophe, quo pacto à Sponso suo super montes aromatum in æterna illa ac verè Regia tabernacula fuerit subuecta.* Μυστήρια *hæc adhuc sunt; quibus aliquantulò plus luminis accedet, si totius Operis periocham, ac singulas eius partes, quasi per transennam inspiciendas proposuero.*

CA-

CAPVT III.

Varij piè viuentium gradus, & primùm de ſtatu myſticarum Concubinarum.

1.Cor. 15. v.41. SICVT, *iuxta S. Paulum, eſt* alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum; ſtella enim à ſtellâ differt in claritate: *ſic non tantũ in reſurrectione mortuorum & gloriá, verùm etiam in præſenti vitâ in gratiâ magna eſt diſparitas. Quibuſdam enim ſat eſt vitam ducere, vt honeſtis mos eſt, nullius grauioris notæ culpis obnoxiam, & quarumdam etiam moralium virtutum ornamento excultam: quod tamen primum & ſummum eſſe deberet, abeſt, vt diuini amoris & gratiæ incremento potiſſimum lucrum æſtiment: mortificationis ſtudium nullum eſt; interior homo, qui ſecundùm Deum creatus eſt, negligitur; interim detinent illos nugæ nugarum, & vanitates vanitatum. Cura cùm grauiſsima eſſe ipſis videtur, in eo vertitur, quî opes aut accumulent, aut conſeruent; quî mundo ſe probent;*

bent, & ornent ; qui ſenſibus ſuis alludant, aut potiùs illudant. Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitiâ : *fateor ; ſed & ſine virtute. Dant quidem ſe interdum bonorum librorum lectioni, ſed obiter, & quaſi non ſuæ vocationis negotio ; preces ſi quando recitant, recitant merè, non orant, vt* veri adoratores *qui adorant* Patrem in ſpiritu & veritate : *hinc etiam raro impetrant. Hæ ergo animæ non ineptè comparentur Puellis adoleſcentibus, quæ in regiá quidem educantur ; nulla tamen, niſi perparui momenti, negotia illis creduntur ; familiaritas cum Rege nulla, imò vix vlla ſermocinatio, niſi fortè tribus verbis :* Sap. 4. v. 12. Ioan. 4.

Hoc genus, Hora quota eſt?

Cùm igitur amoris mutuitas hîc non intercedat, & iſtud Canticum amatoriis deliciis deſtinatum ſit ; hinc eſt, quòd Adoleſcentulæ iſtæ nullam ſibi partem peculiariter vendicent, ſatiſque viſum fuerit, ſi obiter aliquando earum mentio fiat.

Aliæ

Aliæ ergo sunt animæ hisce prouectiores, quæ posthabitis sæcularibus vanitatibus, & omnibus aliis impedimentis reiectis, vni sese Dei seruitio mancipàrunt. Sed & inter has rursus magna est disparitas. Aliquæ enim etsi vni illi inhærere, & quasi ad superiora euolare contendunt; non rarò tamen tamquam corporeá mole prægrauatæ deorsum relabuntur, cùm non, quod volunt bonum, hoc agant, sed quod oderunt malum, illud faciant. *Et licet hæ in grauium delictorũ præcipitia non abripiantur, quin & minoribus vitiis resistere conētur, vident tamen* aliam legem in membris suis, repugnantem legi mētis suę, & captiuantē se in legem peccati: *cui si quãdo minùs diligenter sese opponãt, euenit, vt facilè aliquá peccati labe aspergantur, repugnãte illis, & non dubiis signis reuocante consciētiá. Hinc istæ in ipsis delictis querimoniæ:*

Rom. 7. v. 15. Ibid. v. 23. Ouid. Metam. 7

Mens aliud suadet, video meliora, proboque;
Deteriora sequor.

Hæ autem animæ illæ sunt, quæ Concubinis com-

comparantur. Nemo autem existimet Concubinas, quarum frequens est in Scripturis mentio, pellices fuisse, nullâ matrimonij lege maritis coniugatas: etsi enim πολυγαμία ex dispensatione diuinâ aliquando licita fuit, cōcubinatus tamē, qui extra matrimonium legitimum sit, permissus numquā fuit. Concubinæ ergo illæ etiam vxores erant, etsi non primariæ, פִּילַגְשִׁים pilagschim *Hebræis vocabantur, & indifferenter vna talis* פִּילֶגֶשׁ pilegesch & אִשָּׁה פִּילֶגֶשׁ isscha pilegesch *nominatur, quasi secundariam, & vxorem secundariam dicas. Tales erant Agar & Cethura Abrahamo, Bala & Zelpha Iacobo, aliis aliæ. Harum concubinarum matrimonium se extra thorum non extendere videbatur: eapropter, si antea ancillæ fuerant, ex eo nihil aut perparum libertatis consequebantur. Salomon ergo noster mysticus mysticas etiam suas Concubinas habet; quæ interdum quidem amicabili Regis præsentiâ fruuntur, sed illa continua non est; etenim cùm ipsæ adhuc Ancillæ permaneant, omni seruili metu non carent, & seruilibus sæpè*

Vide S.Thom. in Suppl. q.65.art.2.

Gen. 16. 25.& 30.

Iudic. 19.

curis & occupationibus distinentur ac distrahuntur. Primâ ergo dramatis huius Parte commemorat Sulamitis, quo pacto extra Adolescentularum numerum emergens, intra has Concubinas fuerit recepta, & quomodo in eo gradu se habuerit. Scopus huius Partis est, tironibus in vitâ spirituali exemplar & documenta statui suo idonea dare.

CAPVT IV.

Reliqui gradus, & Partes Cantici proponuntur.

SECVNDA *Cantici Parte Reginarum conditio enarratur. Hæ autem illæ sunt animæ, quarum conuersatio tota in cælis est; vt licet negandum non sit eas inferioris, id est sensitiui appetitus motus sentire, (nam omnimodam Stoicorũ aut Origenistarum* ἀπάθειαν *introducere velle, friuolum foret) ipsis tamen non consentiunt: nec tam de hoste sibi negotium facessente conqueruntur, quàm gaudeant de certamine, vnde quotidie nouas victorias, nouosque triumphos reportant. Has tales Reginas nulla à Rege lex arcet.*

Exem-

Exemplo potest esse Esther; quæ, cùm edicto Regio capitale foret non accersitum coram eo comparere, impunè tamen comparuit, audiuitque: Ego sum frater tuus, noli metuere. Non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Est. 15. v. 12. 13.

Secundâ ergo Cantici Parte narrat Sulamitis, qualis inter Reginas vixerit, sibi vni & Sponso magnâ cum animi voluptate vacans. Scopus huius est, illos instruere Religiosos, quibus nulla ex officio proximorum cura, nisi fortè in precibus, incũbit, eorumq; hîc aurea cum Deo familiaritas describitur.

Altus reuerà magnusque & præstans hic est gradus: altior tamen præstantiorque est qui sequitur. Hi sunt, quibus satis non est se suaque tueri & ornare; sed egregiâ animi magnitudine ad salutẽ perfectionemque proximorum procurandam eorum & charitas & diligentia se extendit. Apostolicum planè munus, & ei vitæ generi quod in hac carnis œconomiâ gessit Christus affine: quippe quod in re omnium maximâ, qualis est saluatio mundi, Deo cooperatur; cuius vnius munus

eſt, illi, quod ab his plantatur & rigatur, dare incrementũ. Hoc *Mariæ otium Marthæ ſociatum negotiis, quatriduanum Lazarum vitæ poſtliminiò reſtituit.* Hic *erat, qui non contentus ſeruire Domino cũ omni humili-*
Actor. 20. v.19. *tate, & lacrymis; & tẽtationibus, quæ ipſi acciderant; ſed & docebat publicè, & per domos, nihil ſubtrahens vtilium quo minùs annuntiaret illis. Itaque non ſine cauſá pro-*
2. Cor. 12. v.15. *fitebatur:* Ego libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus
Rom.9. v.3. veſtris. *quin & anathema eſſe optabat à Chriſto pro fratribus ſuis.* Hic *erat & alter, qui in veteri Teſtamento legem populo ferre iuſſus, ex vná quidem parte eam diligentiſſimè & incredibili ferè zelo populo commendabat; ex alterá verò, tamquam inter Deum & populum ſequeſter poſitus, tantâ contentione pœnam, quam promeriti fuerant in Deum impij & ingrati Iſraëlitæ, de-*
Exodi 32. v.31. *precabatur, vt diceret:* Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. *Ita inſigne huius ſtatus ſpecimen dedêre & Doctor*

gen-

gentium in Euangelio, & in Lege veteri Ductor populi Israelitici.

In Tertiâ ergo Parte ostendit Sulamitis, quantas in aliis ad salutem dirigendis perpessa sit difficultates, quantis fuerit laboribus obruta; quantâ diligentiâ, quo zelo negotium Domini egerit. Scopus huius Partis est, animarum moderatoribus, doctoribusque ideam aliquam sui muneris ritè obeundi proponere.

Quartâ denique & postremâ Parte declaratur, quomodo Sponsa, post bonum certamen certatum, cursum consummatum, fidem seruatam, sese ad repositam sibi in cælo coronam compararit, quâque se diligentiâ ad vitam sanctè ductam cum felici morte commutandam disposuerit. Denique quo pacto tandem à Sponso in æternæ beatitatis gloriam subuecta fuerit. Scopus hic est, bonam ad benè moriendum præparationem ostendere.

In his ergo tota Cantici huius periodus versatur. Quod porro ad modum scribendi attinet, potuissem ego, singula eorum quæ

hîc aſtruuntur, fuſiùs pertractare; potuiſſem eadem tum exemplis tum documentis manifeſtiùs illuſtrare, aut etiam exornare: verùm multò maximam eorum partem quæ ſcribenti occurrebant, & ſeſe quodammodo ingerebant, ſciens volenſque prætermiſi, ne mole obeſſem delectationi, quam hîc tamquam alterum Operis ſuſcepti ſcopum ſtudui excitare. Multò minùs hîc phaleras verborum, & elocutionis lenocinia captaui. Eſt, quando ſquallentes auro veſtes, purpurâq; & verſicoloribus gemmarum ſcintillis radiantes delectant; eſt, quando lugubri habitu magis conuenit dolorem proteſtari; eſt etiam, cùm inter vtrumque μηδὲν ἄγαν. Certè hîc adſcititio cultu, & fuco ferè dixeram meretricio,

Ornari res ipſa negat, contenta

non dico docere, *ſed monere: aut, quod malim, mouere. hoc enim eſt, quò potiſſimùm, & ferè tantùm, collimaui.*

IN-

INDEX ET ORDO SECTIONVM.

PARS PRIMA.

DE *eorum ſtatu, qui vitæ ſpiritualis curriculum primùm ingrediuntur.*

SE-

PARS III.

De statu illarum animarum, quæ aliis præsunt.

SE-

SE-

SECTIO QVARTA ET VLTIMA.

ORIGENES Homiliâ priori ex duabus in CANTICVM CANTICORVM.

BEATVS *quidem is, qui ingreditur sancta; sed beatior qui ingreditur Sancta sanctorum.*

BEATVS *qui sabbata sabbatizat; sed beatior qui sabbatizat sabbatorum sabbata.*

BEATVS *similiter & is qui intelligit cantica, & canit ea; nemo quippe nisi in solemnitatibus canit: sed multò beatior ille qui canit* CANTICVM CANTICORVM.

IN

IN CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS PARAPHRASIS ET NOTÆ.

PARS PRIMA.

De eorum ſtatu, qui vitæ ſpiritualis curriculum primùm ingrediuntur.

Prælúdium & inuitatio præuia, ſub perſonâ Sulamitidis.

MISERICORDIAS [a] Domini [a] Pſal.88.
in æternum cantabo, [b] quia fe- v.2 [b] Luc.1.
cit mihi magna qui potens eſt. v.49.
[c] Audite hæc omnes gentes, [c] Pſal.48.
auribus percipite omnes qui v.2.
habitatis terram, [d] iuuenes, & virgines, ſenes [d] Pſal.148.
cum iunioribus [e] benedicite Dominum v.12.
in operibus ſuis; date nomini eius magnifi- [e] Eccli.39. v.19.
centiam, & confitemini illi in voce labio-

rum vestrorum , & in canticis labiorum , &
[f] Prou. 8. v. 6. citharis. [f] De rebus magnis locutura sum,
[g] Prou. 1. v. 4. [g] vt detur paruulis astutia , adolescenti scien-
tia, & intellectus. Audiens sapiens, sapientior
erit ; & intelligens, gubernacula possidebit;
[h] Apoc. 22. v. 11. *vt*, [h] qui iustus est , iustificetur adhuc; & san-
[i] Prou. 8. v. 5. ctus , sanctificetur adhuc. *Quin & vos* [i] insi-
pientes animaduertite , [k] relinquite infan-
[k] Prou. 9. v. 6. tiam, & viuite, & ambulate per vias pruden-
[l] Isai. 59. v. 1. tiæ. [l] Ecce non est abbreuiata manus Domi-
ni , vt saluare nequeat ; *qui* [m] potest facere
[m] Iob 14. v. 4. mundum de immundo conceptum semine.
[n] Isai. 46. v. 8. *Denique vos etiam* [n] redite præuaricatores ad
[o] Isai. 44. v. 8. cor, [o] nolite timere , neque conturbemini,
dicentes: [p] Iniquitates nostræ, & peccata no-
[p] Ezech. 33. v. 10. stra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus:
[q] 1. Petri 5. v. 6. quomodo ergo viuere poterimus ? *Sed* [q] hu-
miliamini sub potenti manu Dei, [r] & inuo-
[r] Psal 104. v. 1. cate nomen eius, [s] & scitote, quia nullus spe-
[s] Eccli. 2. v. 11. rauit in Domino, & confusus est: [t] quis enim
inuocauit eum, & despexit illũ? *Quapropter*
[t] ibid. v. 12. [v] Ezech. 33. v. 11. [v] conuertimini à viis vestris pessimis: & qua-
re moriemini? [x] Conuertimini , & agite pœ-
[x] Ezech. 18. v. 30. nitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris,
& nõ erit vobis in ruinam iniquitas. *Quin &*
[y] Isai. 1. v. 18. [y] si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi
nix dealbabuntur ; & si fuerint rubra quasi
[z] Ezech. 18. v. 31. vermiculus , velut lana alba erunt. [z] Facite
ergo vobis cor nouum , & spiritum nouum:

quia

quia[a] hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clauem Dauid; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit: [b] Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. [c] Hæc, *inquam*, dicit Primus & Nouissimus, [d] testis fidelis, & verax. *Agite ergo*, [e] accedite ad eum, & illuminamini, [f] & inuenietis requiem animabus vestris, [g] & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus. *Exemplo vobis ego ipsa sim, quippe etiam eram* [h] aliquando tenebræ, *licet* nunc lux in Domino. [i] Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESV CHRISTI, [k] qui eripuit *me* de potestate tenebrarum, & [l] de tenebris vocauit in admirabile lumen suum. [m] Venite *ergo* & audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

[a] *Apocal* 3. *v.*7.
[b] *Ezech.* 33. *v.*11.
[c] *Apocal.* 2. *v.*8.
[d] *Apocal.* 3. *v.*14.
[e] *Psal.* 33. *v.*6.
[f] *Mat.* 11. *v* 29.
[g] *Prou.* 3. *v.*4.
[h] *Ephes.* 5. *v* 8.
[i] 2. *Cor.* 1. *v.*3.
[k] *Coloss.* 1. *v.*13.
[l] 1. *Petri* 2. *v* 9.
[m] *Psal.* 65. *v.*16.

Non paruam primæ ætatis meæ partem triueram inter adolescentulas filias Ierusalem, non impar illis, quibuscum agebam, sodalibus meis; cùm tandem illarum pertæsa ineptiarum, oculos in cælum leuare cœpi, & æternitatem cogitare: & pœnitens temporis acti, quærebam, quemnam[n] fructum *habuissem* in illis in quibus nunc *erubescebam*;[o] & ecce vniuersa vanitas & afflictio spiritus. *nam vt illa, quæ reuerà fluxa & caduca sunt, firma ac stabilia forent, ipse*[p] in imagine pertransit homo, *vt diu illis frui non posit*: sed & frustrà conturbatur.

[n] *Rom.* 6. *v.*21.
[o] *Eccli.* 1. *v.*14.
[p] *Psal.* 38. *v.*7.

Hinc ad ſingularum rerum conſiderationem iterata exclamatio: [q] Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Seriò itaque mecum deliberare & ſtatuere cœpi, quî bonas in poſterum horas oleumq́; & operam meliùs collocarem, vt* [r] ſicut *hactenus exhibueram* membra *mea* ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc *exhiberem eadem* ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. *iamq́; felices reputabam animas illas, quæ* [s] iugum *Domini portauerant* ab adoleſcentiâ ſuâ, *& nunc in altâ pace* [t] *ſedebant ſolitariæ, & tacebant, & leuabant ſe ſupra ſe; ea* [v] *ſolùm quærentes*, quæ ſurſum ſunt, *ea ſolùm ſapientes, &* non quæ ſuper terram. *Anhelabat ergo eódem etiam mens mea, ſi quomodo poſſem tanti boni particeps fieri. Sciebam quidem* [x] omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum *eſſe*, deſcendens à Patre luminum: *verùm, quomodo poſt offenſas meas primum mihi ad eum aditum reſerarem, penitùs ignorabam. Adfuit tamen cœlitus auxilium, & hoc, quo iam dicam, pacto, voti me compotem mei fecit.*

[q] *Eccle.* 1. *v.* 2.
[r] *Rom.* 6. *v.* 19.
[s] *Thren.* 3. *v.* 27.
[t] *ibid. v.* 28.
[v] *Coloſſ.* 3. *v.* 1.
[x] *Iacob.* 1. *v.* 17.

SE-

SECTIO PRIMA.

Sulamitidis primum desiderium, eiusque ratio, & primæ deliciæ.

TEXTVS, *ex cap. 1. vers. 1.2.3.*

1 OSCVLETVR me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vi-
no, 2 fragrantia vnguentis optimis. O-
leum effusum nomen tuum: ideò ado-
lescentulæ dilexerunt te. 3 Trahe me:
post te curremus in odorem vnguento-
rum tuorum. Introduxit me Rex in
cellaria sua: exultabimus & lætabimur
in te, memores vberum tuorum super
vinum: recti diligunt te.

PARAPHRASIS.

OCCVRSABAT menti meæ, interfecto per proditionem & summum scelus fratre, capitalis Absalom: qui post triennale in Gessur exilium, & alterum item exactum Ierosolymis biennium, eâ lege vt à Regis patris conspectu arceretur; interueniente tandem iterùm Ioabo, pacis osculo in plenam gratiam atque

filij locum receptus ac restitutus fuit. Placebat exemplum : & licet infami parricidâ nihilo me meliorem ducerem,ita tamen me constituebam, vt quę intra ciuitatem Dei recepta,id est intra diuinæ gratiæ præsidium, vbi à letalis noxæ reatu soluta, & publicorum Ecclesiæ munerum particeps, ad magis internam cum Rege familiaritatem suspirat: ardebamque desiderio similis osculi in plenę reconciliationis signum, & pignus ἀμνηστίας omnium mearum anteà iniuriarum. At, quemnam hîc Ioabum interponerem, hærebam: itaque metuens & timida, sed non omni tamen spe destituta, aliquando in profundo cogitationum ex cordis plenitudine in hæc verba prorupi: O vtinam pari facilitate ipse OSCVLETVR ME OSCVLO ORIS SVI! Nec plura: quod sermoni deerat, supplebat affectus apud illum, in cuius conspectu meditatio mea semper fuerat: sed & ipsa in verbis ἀποσιώπησις animi mei æstum quauis vociferatione clariùs exprimebat;& loquendi modus, optanti quàm petenti similior, verecundiam & reuerentiam meam, quâ ipsum adire & alloqui erubescebam, non obscurè indicabat.

Mirum dictu, & sine experientiâ creditu difficile, quàm facilè ignita pauperis & ex animo se humiliantis desideria exaudiat misericors

ſericors & miſerator Dominus, quamque ad primam cordis eius præparationem inclinata ſit auris eius. Necdum conceperam orationem, & ecce facie tam blandâ, vultu adeò amicabili reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, vt, licet petitum pacis oſculum non ſtatim largiretur, (neq; enim nouum eſt, neque inſolens ipſi, in bonum noſtrum munera ſua ad tempus differre;) animum tamen addiderit voti mei rationem coràm exponendi. Quare ad ipſum verba mea hunc in modum ſum proſecuta: Deſiderij mei cauſſâ, ô Maxime quidem, ſed & Indulgentiſſime Regum, eſt, QVIA MELIORA SVNT VBERA TVA VINO. ego enim tam auguſtâ cum Maieſtate actura, hoc præfari velim, à Rege iam me ad matrem prouocare, & quæ paullò antè ad illam celſitudinem trepidabam, iam ad hanc benignitatem & clementiam, quam ex vnico ſerenitatis tuæ intuitu agnoſco verè maternam, in morem lactentis recurro. Quàm verò non ſine cauſſâ lac iſtud ſupercæleſte vino terrenarum voluptatum præponam, minimè dubitabit, qui intelliget, cæleſtia terrenis, & caducis æterna immane quantum præſtare. Quærat iam hîc aliquis, quî hæc norim, iámne vberum illorum lactis dulcedinem guſtauerim. Enimuerò, tantam, fateor, felicitatem hactenus numquam fui

conſecutá, odorem tamen illorum aliquem ex iis, qui illud affatim biberunt, percepi, & deprehendi, quòd ſint FRAGRANTIA VNGVENTIS OPTIMIS: ſiue enim vſum olei vnguentorúmve (vtrumque enim pro eodem hîc accipitur) requiras ad medicinam, aut robur conferendum: ſiue ad oblectationem, vt in conuiuiis ob ſuaueolentiam ſolet; ſiue ad conſecrationem, vt in Sacerdotú Regúmve fit initiatione; certa ſum, prȩſtantiſſima quæq; olei vnguentorúmve genera hinc me mihi poſſe polliceri. Nec iam me vltrà, aut rei expetitæ dignitas, aut indignitas mea retardat: vt enim tuam aliàs liberalitaté recolo, aliarumque, quæ tecum familiariter viuunt, ſacrarum mentium iudicium exquiro, ſiue exempla conſidero; audio te vnguéta iſta, &, quod multò amplius eſt, teipſum ſimul cum illis plenâ manu, ne dicam prodigè, effundere: quod nullo vmquam tempore manifeſtiùs patuit, quàm cùm Diuinitatem tuam noſtræ humanitati coniuncturus, & IESV & CHRISTI nomina tibi æternâ deliberatione conſtituiſti; quorum prius communicationem tui, & quaſi effuſionem; alterum chriſmatis ſignificationem, & ita olei myſterium inuoluit. Itaque iam tum OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM eſſe voluiſti; & IDEO aliæ etiam ADOLESCENTVLÆ tenellȩ adhuc,

nec

nec magis quàm ego in virtutibus prouectæ animulæ DILEXERVNT TE, & in amorem tui, quod ipſum perfectionis ſumma eſt, inflammatæ fuerunt. Hæc ego dum cogito, video iam mihi potiùs meditandam eſſe cauſſam, cur id hactenus non obtinuerim, quàm cur id iam auſa fuerim exoptare. Quæ cùm ita ſint, eia Optime Maxime TRAHE etiam ME: agnoſco enim, &, licet non ſine rubore, profiteor torporẽ & inertiam meam, vt iam ſatis non ſit reſeratis foribus admitti, niſi ipſe tu me traxeris, & efficaci quidem, dulci tamen gratiæ tuæ violentiâ planè non violentâ compuleris intrare. Videor iam, (vt præpropera ſunt calidè cupientium vota) videre diem illum, quo ego, nec ſola ego, ſed & aliæ multæ ſimul meâ inſtigatione & exemplo motæ ſodales meæ, POST TE CVRREMVS IN ODOREM VNGVENTORVM TVORVM, vbi tua nos inuitabit excitabitque odorum fragrantia in omnes vias diffuſa. Nec ſanè, te præeunte, vllum erit erroris periculum; nec odore iſto tuo nos comitante, vllæ difficultates difficiles erunt ſuperatu; nec te propugnante, vllæ erunt hoſtiles machinationes pertimeſcendæ. verbo dicam:

Nil deſperandum eſt tanto duce, & auſpice tanto.

Ita inflammatè, piè, ſummiſſè, bonaque &

firmâ cum deliberatione orauerã, cùm verè bonus & beneficus Dominus, non cõtentus me optato cum osculo ad se recepisse, sed & manu prehensam perquam familiariter INTRODVXIT ME REX IN CELLARIA SVA, mihique non cuiuis patentia penetralium suorum arcana reserauit. O immensam summæ illius Maiestatis in me liberalitatem! ô felicitatem meam! quid vidi ibi? quid didici? quæ abstrusa vulgo, & hactenus mihi incognita in illâ mentis illustratione fuerunt retecta? Si oblita fuero tui vmquam, ô perfecta & pacifica visio, in quam abrepta fui, obliuioni detur dextera mea, si nón proposuero te in principio lætitiæ meæ. Non dubiis interim signis aduertebant sodales meæ magnum aliquid in me præter & supra consueta gestum fuisse: neque ipsa magnopere conabar rem ipsam celare, spe alias etiam animas ad meliora traducendi: hinc factum est, vt quædam in meliorem partem proniores fortunam meam cœperint mirari; & quasi ęstimarent, ob amoris inter me & illas mutuitatem ad se etiam aliquam boni huius partem deuenire, vt charitas facilè bona communicat, sincero affectu mihi gratulantes: Vt tu, felicissima Sulamitis, dicebant, in Rege & Dilecto tuo constanter beateq; gaudes, ita nos etiam EXVLTABIMVS, ET LÆTABI-

MVR

MVR IN TE. Si enim tu, quæ iam ſine controuerſiâ placere cœpiſti Altiſſimo, nobis quoque ad ſimilem beatitudinem viam ſternere dignata fueris, nos te pro matre habebimus, erimuſque, vt tu Dei, ſic nos MEMORES VBERVM TVORVM SVPER VINVM: tuo enim exemplo exſtimulatę, has, quibus adhuc inuoluimur, ſęculi ineptias præ tuis iſtis ſpiritalibus donis facilè contẽnemus. Et licet quędam aliæ nobiſcum non ſentiant, ſed obliquis potiùs inuidiæ ſtimulis actę, minùs benè tuas ſe ferre laudes oſtendant; tu caue earũ obloquia & ſuggillationes vllius momenti facias, certa quòd meliores, neque nos tantùm puellæ, ſed etiam viri graues & RECTI DILIGVNT TE, ob iſtud tuum tam egregiè inchoatũ ſtudium. Cum illis autem talibus ſentire, veræ prudentię eſt; operari, ſolidæ virtutis; coronari verò, conſummatę glorię erit. Et iſtæ quidem animæ non longè aberant à regno Dei; aberant tamen: quorſum enim iſta, exultabimus, lętabimur, erimus memores? & cur non potiùs, exultamus, lętamur, memoriam agimus? nimirum, multi ſunt, quibus aſſiduè iſta in futurum proponuntur, numquam in opus veniunt; & his non leue periculum eſt, ne ingruente morte appareat, ea quę illis ſemper futura manent, rei veritate numquam eſſe futura.

NOTÆ

NOTÆ.

OSCVLETVR ME OSCVLO ORIS SVI.] *Honorius Augustodunensis Presbyter:* Fidelis anima sponsa Christi cogitans vbi fuerit, vbi erit, vbi sit, vbi non sit, scilicet quòd in originali & actuali peccato fuerit, quòd in tremendo iudicio Dei erit, quòd in vanitatibus sęculi sit, quòd in æterna beatitudine non sit, gemens & tremens dicit: Osculetur me osculo oris sui. Ac si dicat, Ille, qui in meâ carne in dextrâ Patris sedet, meus aduocatus, iustus Iudex, me de peccatis dolentem, de iudicio suo trementem, visitando osculetur, & pace, signo amicitiæ, quam proprio ore pœnitentibus promisit, osculetur.

Philo Carpathiorum Antistes in hunc locum ita: Magnus fuit olim morbus meus ac languor, non vili egeo curatore, sed magnis mihi medicamentis opus est omnino: cælestem medicum voco, huius necessariò indigeo, sine hoc vno pereo, ab huius solâ curatione conualeo, ab hoc vno mihi medicina salutaris & certa.

S. Gregorius Nyssenus Hom. 1. Quia verba sponsi sunt spiritus & vita; qui autem conglutinatur spiritui, fit spiritus; & qui vitæ coniungitur, transit de morte ad vitam; * * * propterea vult anima ori vitam scaturienti os suum admouere, dicens: Osculetur me osculo oris sui.

Extat inter Opera S. Augustini libellus de Amicitiâ, cuius pietati si par eruditio responderet, Augustino forte non indignus videri posset. in eius sexto cap. ita legitur: Quandò fiunt amici qui fuerunt inimici, in signum pacis, sicut communicati in Ecclesia, inte-

interiorem pacem exteriori oſculo declarant. *** Oſculum ſpirituale propriè amicorum eſt, qui ſub vnâ lege amicitiæ tenentur; non enim fit oris attactu, ſed mentis affectu; non coniunctione labiorum, ſed commixtione ſpirituum, caſtificante omnia Dei ſpiritu, & ex ſui participatione cęleſtem immittente ſaporem. ** Anima ſic affectâ, ad intellectuale oſculum ſuſpirat, cum deſiderio clamans, Oſculetur me oſculo oris ſui; vt iam terrenis affectibus mitigatis, & omnibus, quæ de mundo ſunt, cogitationibus deſideriiſque ſopitis, in ſolius Chriſti delectetur oſculo. *Hæc ille Auctor, qui vt pius, ita etiam prioris æui eſt: nam, quod de oſculo communicatorum in Eccleſia habet, eum ritum indoctus ſcire vix potuit, niſi tum vixerit, cùm id in quotidiano vſu frequentaretur.*

S. Bernardus Serm. 8. *in Cant.* Meritò ſponſa, quem diligit anima ſua inquirens, non ſe ſuæ carnis ſenſibus credit, non curioſitatis humanæ inanibus ratiociniis acquieſcit; ſed petit oſculum, id eſt Spiritum ſanctum inuocat, per quem accipiat ſimul & ſcientiæ guſtum, & gratiæ condimentum. Et benè ſcientia, quæ in oſculo datur, cum amore recipitur; quia amoris indicium oſculum eſt. Scientia ergo, quæ inflat, cùm ſine charitate ſit, non procedit ab oſculo. Sed nec, qui Dei zelum habent, & non ſecundùm ſcientiam, ſibi vllatenus arrogent illud. *Vide etiam S. Bern. Serm. paruo* 52.

Inter Hebræos etiam R. Salomon Iarrius agnoſcit in his verbis perſonam mulieris ad maritum recurrentis, & thori perfidiam deprecantis; & inter alia, Hoc canticum, *inquit*, habetur à ſponſa longo exilio & viduitate exercita. Vtinam, inquit, oſculetur

me

me rex Salomon osculo oris sui. *& R. Abben Ezra ita*: Puella parua admodum, cui nondum extabant vbera, custos vineæ, intuita pastorem transeuntem, ipsum deperire, & amore deinde sui sauciare cœpit. *Dispari isti duo inter se sensu; ambæ tamen expositiones pulchrè in nostram sententiam conueniunt.*

QVIA MELIORA SVNT VBERA TVA VINO.] *Origenes Homiliâ primâ ex quattuor, & S. Bernardus Serm. 9. in Cant. notauerunt, aliquod beneuolentiæ Regis indicium inter præcedentia verba & hæc interuenisse. & R. Abben Ezra, post petitum ab amante, addit:* Quasi persensisset pastor, pedē collocutura cum eo refert, Meliora sunt vbera tua vino. Magis quàm vinū inebriant & exhilarant amores tui.

S. Gregorius Magnus in hunc locum: Vbera sponsi vino meliora existunt, quia illud necat, hæc nutriunt; illud oculos mentis turbat, hæc acuunt; illud apostatare facit etiam sapientes, hæc ipsos idiotas vtique sapientissimos efficiunt: quæ, quot vicibus sponsa cum dilectionis vbertate sugit, tot sententias sapientiæ sibi in ventrē memoriæ trahit.

S. Ambrosius Serm. 1. in Psalm. 118. hunc locum ita exponit. Tamquam despiciens omnes iucunditates & delectationes suas, cælestibus cupiens inhærere mandatis, ait: Quoniam optima præcepta testamentorum tuorum super omnem appetentiam carnis & sęculi voluptatem. *Vide eumdem libro de Sacramentis cap. 2. Philonem Carpathium hic, Lyranum, & Rup. Abbatem Tuitiensem hic. S. Bernardus hic per* vinum *intelligit increpationem Superiorum.*

R. Salomon, Quia, *inquit*, meliores sunt mihi amores tui vino, quauis compotatione vini, quouis delicio & voluptate. Phrasi Hebraicâ conuiuium

omne,

omne, vtut deliciosum & voluptarium, vini nomine appellatur. * *. Illi, inquit, amores etiamnum dulciores sunt quauis oblectatione, & ab eo speramus, vt adhuc nobis affulgeat, declaretque arcanos sensus, & occulta mysteria eius; eoque adoramus vultum ipsius, vt confirmet verbum suum, hoc est, osculetur osculis oris sui.

Ad lactis huius desiderium fidei Christianæ initiatos, & tamquam in limine spiritualis vitæ constitutos, inuitat S. Petrus Apostolus Epist. 1. cap. 2. v. 2. Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem; si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus. *Huc etiam referri potest antiquus in primitiua Ecclesia ritus, quo nouiter iam natis pueris lac & mel ori inserebatur: cuius consuetudinis meminit S. Hieronymus Dial. contra Luciferianos: & idem exponens initium cap. 55. Isaiæ, docet, in Occidentalibus Ecclesiis fuisse consuetudinem, vt renatis in Christo vinum in lac tribuatur. Iuuat hîc rationē ad propositum nostrum addere, vt discant ab ipso vitæ ingressu eligere bonum & reprobare malum. Sanè S. Hieronymus loco posteriùs citato adfert locum S. Petri paullò antè adductum, in quo lac non vinum concupiscere iubemur.*

FRAGRANTIA VNGVENTIS OPTIMIS.] *Hugo de S. Victore Miscell. cod. 2. lib. 2. tit. 60. describit egregiè triplicis generis vnguenta, quæ omnia ad medicinam spectant. Vocat autem illa, pungitiuum ad contritionem, temperatiuum ad deuotionem, sanatiuum ad pietatem; sed pluribus, quàm vt instituto hîc nostro quadrent. S. Gregorius Papa, & Anselmus, siue sanctus Cantuariensis Antistes, siue illo ætate non inferior Laudunensis, (ideo enim dubitari vter horum auctor*

ctor sit Commentariorum, quæ sub hoc nomine in Canticum canticorum circumferuntur; illi, inquam, duo Doctores de oleo lætitiæ & voluptatis hunc locum explicant, alij aliter.

OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM.] *S. Gregorius Magnus:* Nomen ſponſi Chriſtus eſt, ſed nomen ſponſi quaſi oleum effunditur, quia quicumque Chriſtiano nomine in veritate cenſentur, charitate ſancta affluunt; qua molliuntur, & vt flammas exemplorum emittunt, eadem charitate continuè ſuffunduntur.

Origenes Hom. quæ prior eſt ex duabus in Canticum cantic. Quomodo vnguentum, quod effuſione ſuâ odorem longè lateque diſpergit, ſic Chriſti nomen effuſum eſt *** Nunc Moyſis nomen auditur, quod priùs Iudææ tantùm claudebatur anguſtiis *** ſtatim vt Ieſus radiauit in mundo, eduxit ſecum Leges & Prophetas, & completum eſt, Vnguentũ effuſum nomen tuum, **** Quia per Spiritum ſanctum charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, congruè nomen effuſionis infertur.

IDEO ADOLESCENTVLÆ DILEXERVNT TE.] *Rupertus Abbas:* Niſi oleum taliter effuſum fuiſſet, niſi verbum tuum taliter proceſſiſſet, adoleſcentulæ, id eſt animæ imperfectæ, non auſæ fuiſſent diligere te. *** At nunc dum illud taliter effundis, ecce adoleſcentulæ dilexerunt te.

TRAHE ME.] *Honorius Auguſtodunenſis:* Fidelis anima bonum volens, & per ſe non valens, clamat Chriſto: Trahe me poſt te. hoc eſt, Da gratiam, vt poſt tua veſtigia ad te, qui es via, veritas, & vita, veniam: nullus enim homo ad pœnitentiam conuertitur, niſi per gratiam trahatur.

Appo-

Appoſitè & breuiter Rupertus hìc: Qui veraciter diligit,& trahitur,& trahi cupit.

Post te cvrremvs in odorem vngventorvm tvorvm.] *S. Gregorius Papa:* Non currit, qui non trahitur: quia quem diuina gratia non adiuuat, moleſtiâ ſuæ corruptionis grauatur: gratia quippe diuina nos præuenit, & internorum dulcedinem nobis oſtendens, de exterioribus nos compungit, moxq́ue in illa tranſiens animus, præ illorum dilectione temporalia vilipendit. Iſte ergo, qui trahitur, currit; quia vinculum amoris libenter ſequens, gratiæ roboratus amore, ſine grauedine omnia obſtacula tranſit.

Introdvxit me Rex in cellaria sva.] *Origenes Homiliâ primâ in Cant. non quidem eâ, quam paullò antè citauimus, ſed quæ ex aliis quattuor Homiliis prima eſt: cumq́ue Origenes bis Canticum hoc expoſuerit, nos diſtinctionis gratiâ cùm priorem expoſitionem citabimus, priorem aut poſteriorem Homiliam nominabimus; in alterâ expoſitione ordinarij numeri notis vtemur, dicemusq́ue Homil. primam aut ſecundam, &c.* Introductam ſe dicit à ſponſo Rege in cubiculum eius, vt ibi videret cunctas opes Regias; in quo vtique meritò iucundatur & exultat, vtpote quæ ſecreta iam Regis & arcana perſpexerit. *Deinde ponderat idem, quòd non Dilectum, & Sponſum, aut ſimile quid dixerit, ſed Regem: & cauſam reddens*, Propterea, *inquit*, arbitror in his Regem dictum eſſe, vt oſtenderetur per hoc nomen prædiues cubiculum, vtpote Regium, & multis atque immenſis opibus repletum.

Honorius Auguſtodunenſis: Cùm quis de ſæcu-

lari vita ad ſpiritualem conuerſationem venerit, exultans dicit, Introduxit me Rex in cellaria ſua. clauſtra quippe ſunt quaſi cellaria quædam, in quibus ſunt multimodæ conſolationis pocula.

EXVLTABIMVS, ET LÆTABIMVR IN TE, MEMORES VBERVM TVORVM SVPER VINVM.] *Origenes Hom. priori ex duabus in Cant.* Pro ſponſæ perfectione lætantur. Non eſt æmulatio in virtute: amor iſte purus, amor iſte ſine vitio eſt. Exultabimus, & lætabimur in te. Diligemus vbera tua. Illa quæ maior eſt, iam tuorum vberum lacte perfruitur, & loquitur exultans, Bona vbera tua ſuper vinum. Iſtæ verò quæ exultationem ac lætitiam differunt, adoleſcentulæ quippe ſunt, differunt charitatem, & dicunt, Exultabimus lætabimus in te: dil igemus vbera tua ſuper vinum. Diligemus, inquiunt, non diligimus.

Theodoretus, & tres apud ipſum Patres, ab Origene vix differunt, eiſque addit Theodoretus: Quæ verba ſponſa dixit ſponſo, eadem ipſę dicunt ſponſæ, ex ſua in ipſam beneuolentiâ & amore, ſponſi amorem & beneuolentiam colligentes: Chriſtus enim ad Apoſtolos, Qui vos, inquit, recipit, me recipit. *Videri etiam poteſt Anſelmus.*

RECTI DILIGVNT TE.] *Alia verſio habet:* Rectitudo diligit te. *& ita S. Gregorius Nyſſenus Hom.* 1. *obſeruauit, quod & tres iam dicti Patres etiam notarunt, in conſequentibus rationem horum reddi. Nyſſenus ita loquitur:* Propterea diligimus tuorum influxum documentorum, quia dilexit te rectitudo. Hic eſt diſcipulus, quem diligebat Ieſus: Ieſus autem eſt rectitudo. Pulchriùs autem & Deo conuenientiùs hic Liber nominat Dominum quàm Propheta

pheta Dauid: Dauid enim dicit, Rectus est Dominus; hic autem vocat eum rectitudinem; quo, quidquid est obliquum, corrigitur ad rectitudinem.

S. Bernardus Serm. 24. in Cant. existimat adolescentulas his verbis tacitè animare prædilectam sponsi, ne facilè moueatur ob quarumdam aliarum murmurationes. Puto, *inquit ille*, propter aliquas de numero ipsarum, quæ idem non saperent, licet pariter currere viderentur, quæ sua sunt, quærentes, non ambulantes simpliciter neque sincerè, sed speciali gloriæ matris inuidentes, & captantes occasionem murmurandi aduersus eam, ex eo nimirum quòd ipsa sola in cellaria introisset. * * * Non sit tibi, inquiunt *bonæ istæ*, cura de iniquâ reprehensione blasphemarum, cùm constet, quia recti diligunt te. Bona profectò consolatio, cùm blasphemamur à malis benefacientes, si recti diligunt nos; omnino sufficit aduersus obloquentium iniqua, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ.

SECTIO II.

Sulamitis imperfectiones suas, earumque causas profitetur.

TEXTVS, *ex cap. 1. vers. 4. 5.*

4 NIGRA sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. 5 Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia

decolorauit me ſol: filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodiui.

PARAPHRASIS.

NON temerè monuerant me illæ, quas dixi, virgines ſodales meæ, ne obloquentium maledictis facilè commouerer: erant enim aliæ, quæ etiam ipſæ magnam notabant in meis moribus vitæque ratione mutationem, audiebantque illas, quas iam commemoraui, honorificentiùs de me, quàm anteà, & fortaſſis etiam quàm de ſe, ſentire: accedebat, quòd ego præſtitam mihi à Rege gratiam non diſſimulaueram, ſed potiùs ſpe ipſas quoque ad meliora traducendi, ordine retexeram. Atqui experimento tum didici, me candidiùs quàm prudentiùs egiſſe: illę enim in indignationem verſæ, vt minùs perfectis familiare eſt, non laudibus tantùm, ſed & virtutibus offendi videbantur alienis; quaſi verò ſibi decederet, quidquid alteri accedebat: vt iam non paruum in virtute & pietate progreſſum feciſſe iudicandus ſit, qui benefactis aliorum poterit non offendi, virtuteſq; non ſuas oculo inconcuſſo intueri. Itaque omnes defectus meos, & quodcumque mihi

mihi vitio verti poterat, oculatiſſimè obſeruabant, tali collatione inferentes, vero ſimile non eſſe, me tot tantiſq́ue malis obnoxiam aliquid ſupra ſe à Rege conſecutam fuiſſe. Ex hoc ergo ego meam ipſa culpabam promptitudinem in prodendis illis, quæ ſecretum amant, diuinis donis: nec tamen concidebam animo; ſed, vt ex earum iniquitate meam in ſpiritu vtilitatem captarem, demiſſis in terram oculis, & tota ad modeſtiam compoſita, infirmitates ipſa meas non inuita agnoſcebam, oſtendebamq́ue reipsâ non fruſtrà me à Rege in cellaria iſta fuiſſe introductam: nam & illarum importunitates modeſtè ferebam; &, quæ in me deſpicere poterant, cum vera animi ſummiſſione & humilitate fatebar; neque malum pro malo, neque maledictum pro maledicto reponens, ſed ſtudens in bono vincere malum. Enimuerò agnoſco, dicebam, ô ſodales, non ex meis meritis tanta me bona conſecutam fuiſſe: ſi enim me ipſam ſpecto, NIGRA SVM, Æthiopiſſa ſum, nec eſt, cur ad hoc probandum næuos in me omnes adeò accuratè notetis, habetis confitentem ream: SED nihilominùs negari non poteſt, ſi munificentiam liberaliſſimi in me Regis & liberalitatem ſpectetis, quin & FORMOSA ſim, ô nobiles FILIÆ IERVSALEM: nam & ad ipſius

imaginem & ſimilitudinem condita fui pridem, & iterùm ornamento gratiæ diuinæ me confido dotatam; vtrumque autem eorum citra meritum meum mihi obueniſſe, nemini dubium eſt. Iterùm dico: Si ex meis culpis & negligentiis æſtimer, ſum SICVT TABERNACVLA CEDAR, quæ & nomine nigredinem præferunt, & exteriùs ob aëris iniurias, quibus in deſerto expoſita ſunt, & intus ob Agarenorum ſordes qui ea incolunt, iacent inculta. Quippe ego neque nomine ſanctimoniam profiteor, neque intra me ſolidas virtutes poſſideo, neque extrinſecus bonum ædificationis odorem ſpiro. Sum tamen etiam, ſi verum loqui licet, SICVT PELLES SALOMONIS, cùm ſanctiſſimis mei Regis veſtigiis inſiſtens, eius me actibus ſtudeo conformare: ita enim eiuſdem merita mihi ad ornatũ accedunt, quæ cùm aliàs, tum maximè in Sacramentorũ vſu, cui iam me diligentiùs dare cœpi, mihi applicantur; nec ea me minùs exornant, quàm, ſi quis ruſticani cubiculi parietes pretioſis pellibus, aut cortinis atque peripetaſmatibus veſtiens, Regalis thalami venuſtatem illis inducit. Quare mali quidquid in me eſt, id meæ ego culpæ eſſe confiteor; quidquid pulchri & elegantis, id Regiæ liberalitati, vti debetur, adſcribo. Accedũt huic venuſtati etiam omnium Sancto-

rum

rum merita,quę per bonorum operum communionem mihi etiam applicantur: qui thesauri cùm omnibus pateant,modò eis vti velint, consequens fit, vt eorum vsus mihi neutiquam sit inuidendus. Vt tamen pro me etiam aliquid dicam, NOLITE, quæso, adeò diligenter ME CONSIDERARE, QVOD FVSCA SIM,& interdum in cutis superficie subnigra videar, cùm insolens ea fuscedo,vt naturalis mihi non est, ita etiam neque longi temporis,sed ad illarum morem, quæ quòd paullò diutiùs sub sole commoratæ sint, nigredinem aliquam contraxerunt. Cogitare ergo vos velim, nobiles filiæ Ierusalem,cùm interdum quid minùs benè compositum in me aduertitis, id ex quotidiana agendi consuetudine mihi non esse, sed eo nomine veniam mereri,QVIA DECOLORAVIT ME SOL passionis alicuius subinde plusculum accensi: quis enim ita meri in se imperij est, vt efferuescente aliquo animi motu interdum non dicat faciátve aliquid, quod ipse postmodum fateatur meritò reprehensioni obnoxium esse posse? Si enim ad vnguem probatæ perfectionis Sanctus aliquando dixit: *Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum. Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem; & alterum, quibus vltrà non addam.* *Iob 39. v. 34.*

 Quid

Quid mirum ergo, ſi in nobis idem eueniat? Illud ergo cogitate ſodales, in omnibus delictis permultum intereſſe, vtrùm perturbatione aliqua animi, quæ plerumque breuis eſt, an conſultò & cogitatò fiant: leuiora enim ſunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea quæ cogitata & præparata. Quemadmodum ergo iniurium foret, virginis aliàs non inuenuſtę faciem caſu quodam à ſole pluſculum aduſtam ita depingere, quaſi ſemper talis foret: ita parum ſolidi iudicij eſt, aliquem paſſione alteratum deſcribere, quaſi ſemper ita incompoſiti animi foret: quare hîc

—veniam petimusq́, damusq́ viciſsim.

Deinde FILII MATRIS MEÆ PVGNAVERVNT CONTRA ME: nam quæ ex ſenſuali appetitu enaſcuntur deſideria, vbi ſe contemni vident, inſurgunt quandoque vehementiùs, & reſumunt vires: cùm verò à teneris annis aſſueuerim illis in omnibus obſecundare, & quaſi, vt inter ſe pueri ſolent, illis colludere, difficile eſt quandoque illis paruula quædam non indulgere. Hoc cùm illi vident, qui in ſolâ vitæ auſteritate ſanctimoniam ſtatuunt, offenduntur, & ſcandalum referunt: cùm interim experientiâ ferè conſtet, illos tales tam iniquos & imperitos iudices à mortificationis ſtudio quàm

alie-

alienissimos esse. Denique nemo dubitare poterit, quin abundè satis otij vacãdi sibi inueniet is qui inutiles occupationes benè potuerit resecare. Sed & hoc à filiis matris meæ prouenire dixerim, quòd sæpè aliorum implicita negotiis, attendendi mihi otium non inueniam. Illi ergo POSVERVNT ME CVSTODEM IN VINEIS variis, dumque singuli operam meam nunc huc nunc illuc distrahunt, hinc factum est, quòd VINEAM subinde ipsa MEAM NON CVSTODIVI. Quod ergo mihi maximè curandum erat, vt mihi potissimùm vacarem, & animum ipsa meum excolerem, inutiles palmites resecans, sterilia eradicans, oborientia zizania euellens, meliora deterioribus substituens, ea omnis diligentia frequenter mihi in rebus ad spirituale bonum meum nihil facientibus insumitur.

NOTÆ.

NIGRA SVM, SED FORMOSA, FILIÆ IERVSALEM, SICVT TABERNACVLA CEDAR, SICVT PELLES SALOMONIS.] *Epicteti grauis Stoici cautio est cap. 29. Enchiridij hîc peropportuna:* Sapientiæ studium suscipere cupis? statim te para, quasi futurum sit vt irridearis, vt multi te subsannent, vt dicãt te subitò Philosophum extitisse, vt rogent, Vnde supercilium istud? Tu verò supercilium ne habeto; ea verò, quæ optima videbuntur, sic teneto, quasi à Deo sis in statione collocatus. Ceterùm, memento te, si in eodem statu permanseris, iis tandem admi-

rationi fore, qui te priùs deriserunt; sin eis succubueris, dupliciter fore deridendum.

S. Bernardus Serm. 25. Patet, quòd detraherent ei, *nimirum sponsæ*, nigredinem improperantes. Sed aduerte sponsæ patientiam ac benignitatem; non modò enim non reddidit maledictum pro maledicto, sed insuper benedixit, filias Ierusalem vocans, quæ magis pro suâ nequitiâ filiæ Babylonis vel Belial, aut si quod aliud nomen improperij occurrisset, appellari meruerant. * * * * Ratio cur sponsa filias Ierusalem dicat eas ipsas, quas maleuolas sustinet ac maledicas; videlicet vt blando sermone deliniat murmurantes, commotionem sedet, sanet liuorem. scriptum est enim: Lingua pacifica compescit lites. Aliàs verò filiæ reuerà Ierusalem quodammodò sunt, quæ huiusmodi sunt; nec falsò eas ita nominat sponsa: siue enim propter Sacramenta Ecclesię, quę indifferenter cum bonis suscipiunt, siue propter fidei ęquè communem confessionem, siue ob fidelium corporalem saltem societatem, siue ob spem futurę salutis (à qua omnino non sunt, quàm diu hîc viuunt, etiam tales desperandæ, quantumlibet viuant desperatè) non incongruè filię Ierusalem nominantur.

Origenes Homiliâ secundâ ita introducit sponsam loquentem: Miror vos, ô filiæ Ierusalem, mihi coloris velle exprobrare nigredinem: quomodo non meministis, quòd in lege vestrâ scriptum est, quid passa sit Maria, quæ derogaret Moysi cùm Æthiopissam nigram duxisset vxorem? Quomodo ignoratis illius imaginis adumbrationem in me nunc veritate compleri? Ego sum illa Æthiopissa. * * * Accessi ad eum qui est imago Dei, primogenitus

tus omnis creaturæ, & qui est splendor gloriæ, & fulgor substantiæ eius, & facta sum formosa. Tu ergo quid improperas conuertenti se à peccato, quod vtique lex fieri vetat? *Vide S. Gregorium Magnum, & Theodoretum hîc.*

S. Gregorius Nyssenus Hom. 2. Nolite, *inquit*, mirari, quòd me dilexit rectitudo, sed quòd cùm nigra essem peccato, & per opera essem affinis & coniuncta tenebris, me pulchram fecerit, per dilectionem, sua pulchritudine commutatâ cum meâ turpitudine; in se enim translatis sordibus meorum peccatorum, me suâ puritate impartijt, efficiens participem suę pulchritudinis, qui ex deformibus priùs fecit amabiles, & sic dilexit.

S. Ambrosius Serm. 2. *in Psal.* 118. Fusca sum, & decora, filiæ Ierusalem; fusca per culpam, decora per gratiam: * * fusca puluere sæculari, quem peccando collegi; decora oleo spiritali, quo mundi huius puluerem squalloremque detersi: fusca per vitium, sed iam decora per lauacrũ quod abluit omne delictum: fusca sum, quia peccaui; decora, quia iam me diligit Christus. *Vide eumdẽ l.* 2. *de Spiritu sancto cap.* 11. *& lib. De iis qui myst. initiant. cap.* 7.

Psellus apud Theodoretum: Pariter ego pulchra, & nigra sum: nigra quidem, vt Cedar tabernaculum apparens, nempe ex transgressione præcepti eius primi; Cedar enim obscurus tenebrosusque dicitur: pulchra nunc rursus existo per pœnitentiam, cum Christo summo pacifico mortificata. Tu verò ne mireris, quòd sponsa pariter se & nigram & pulchram nuncupet: omnis enim anima, quæ proficit in virtutis studio, sic ad lucem ẽ tenebris progreditur, vt non repentè tota illustris & pura

fiat;

fiat; ſed quò propiùs ad virtutem accedit, eò longiùs recedit à fraudis obſcuritate, atque ita ſplendidior & clarior euadit.

Rabbi Salomon Iarhius hoc modo loquentem facit ſponſam: Vt nigra ſim, ſicut tentoria Cedarenorum, quæ propter imbres atrore conſperguntur, in deſertis enim perpetuò tenſa ſunt; facilè tamen me poſſum eluere, & ſimilis fieri pellibus Salomonis. *** Nigra equidem ſum operibus meis, ſed actionibus patrum meorum ſpecioſa.

NOLITE ME CONSIDERARE QVOD, FVSCA SIM, QVIA DECOLORAVIT ME SOL.] *Lyranus etiam hîc obſeruauit in fuſcedine facilem in melius mutationem.* Mulier pulchra ſi ſolis ardoribus exponitur, à pulchritudine ſuâ exteriùs immutatur; & tamen mutatio talis eſt accidentalis, & procedit ab exteriori.

Nyſſenus Hom. 2. Non facta ſum nigra à natura, ſed aduentitia in me fuit iſta turpitudo, cùm ſol meam formam ex ſplendido colore mutauit in nigram. *Solem deinde explicat ardentem tentationem, & concludit:* Hic eſt ſol lædens, quando æſtus eius non arcetur à nube Spiritus, quam eis expandit Dominus ad tegumentum: hic eſt ſol, qui nitidam corporis ſuperficiem accendit inſultu tentationum, & formam denigrat deformitate.

R. Abben Ezra: Ne inſpicite néve intueamini me ignominioſis & deſpicabilibus oculis: is enim nigror, quo ſuffuſa ſum, mihi innatus non eſt, ſed accidens, quòd remoueri facilè poſſit.

FILII MATRIS MEÆ PVGNAVERVNT CONTRA ME.] *S. Ambroſius lib. de Iſaac & animâ cap.* 4. Filij matris meæ pugnauerunt contra me; corporis paſſiones,

ſiones, carnis illecebræ decolorauerunt me: ideò mihi ſol iuſtitiæ non refulſit, quo viduata præſidio deuotionem meam & obſeruantiam plenam non potui ſeruare. *Conſentit huic expoſitioni S. Greg. Nyſſenus Hom.2.*

Rickelius art. 4. Anima, *inquit*, contemplatiua, ſponſa Chriſti, ex parte ſupremæ portionis intellectiuæque partis ait: Filij matris meæ, id eſt potentiæ & affectiones, & actus ſenſitiuæ partis, appetitusque concupiſcibilis & iraſcibilis, & paſſiones earum, ſenſusque exteriores & interiores, pugnauerunt contra me. *Rationem deinde expoſitionis reddit:* Quia cognitio noſtra intellectiua exordium ſumit à ſenſitiua, & omnium potentiarum, affectionum, & actionum ſuarum ipſa anima dicitur mater, quia fluunt ab ea, & ipſa illarum ſubiectum eſt & origo: ſenſus etiam interiores ſuis imaginationibus & tumultibus varia pariunt impedimenta recollectionis deuotionisque menti: propter quod anima per ſuperiores ſuas vires ſe cuſtodire, & inferiores vires regere neceſſariò indiget.

POSVERVNT ME CVSTODEM IN VINEIS: VINEAM MEAM NON CVSTODIVI.] *S. Gregorius Papa Hom.* 17. *in Euangelia:* Curis ſæcularibus intenti, tantò inſenſibiliores intus efficimur, quantò ad ea, quæ foris ſunt, ſtudioſiores videmur: vſu quippe curæ terrenæ à cęleſti deſiderio obdureſcit animus; & dum ipſo ſuo vſu durus efficitur, per actionem ſæculi ad ea molliri non valet, quæ pertinent ad Dei charitatem. Vnde benè ſancta Eccleſia de membris ſuis infirmantibus dicit: Poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodiui. Vineæ quippe noſtræ, actiones noſtræ ſunt, quas

vſu

vſu quotidiani laboris excolimus : ſed cuſtodes poſiti in vineis vineam noſtram minimè cuſtodimus; quia dum extraneis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus.

S. Bernardus Serm. 30. in Cant. hæc de curâ animarum exponit: quæ occupatio etſi ſancta, cùm tamen minùs congruis imponitur, periculoſa plenaque metu eſt: vnde ſuam in ea parte miſeriam ipſe deplorat.

SECTIO III.

Error Sulamitidis, in ſolis cæleſtibus deliciis omnis mali ſui remedium conſtituentis.

TEXTVS, *ex cap. 1. verſ. 6.*

6 INDICA mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.

PARAPHRASIS.

ITA cauſſam malorum meorum dixeram, deprecāti culpam quàm amolienti propior: intelligebam tamen numquam mihi ſatis conſultum fore, niſi ita me ſtatuerem, vt tali excuſatione vltrà non indigerem. quare ad Regem exploratæ paullò antè facilitatis reuerſa,

ſa, Obſecro, inquam, INDICA MIHI tu, QVEM ſolum DILIGIT & ſectatur ANIMA MEA, VBI PASCAS; menteſque túorum, tamquam gregis tui oues, ſuauiſſimis pabuli ſpiritualis deliciis recrees. Enimuerò facile fuerit externis & corporeis oblectationibus, quibus hactenus plus æquo addicta notor fuiſſe, priuari, vbi internæ illæ dulcedines ex tuâ bonitate affatim mihi affluxerint. Præueni itaque me, Optime Maxime, benedictionibus dulcedinis tuæ, & vileſcent confeſtim omnia, quæ ſine te magna ac pretioſa videbantur: quin & dura perpeſſu, & toleratu grauia miteſcent te opitulante, & alleuiabuntur, putreſcente nimirum iugo à facie olei. Etenim ſicut exigua ſcintilla in mare delapſa facilè extinguitur: ſic cùm in te ipſam radicē voluptatis lucrata fuero, & omnis habuero lętitię fontē, quantacumque aduerſa illidantur, quaſi in vaſtum lætitiæ pelagus incidentia extinguentur, & peribunt. Oppugnent itaque tum me filij matris meæ; non expugnabunt, cùm ſupernæ voluptates cæleſteſque deliciæ, tamquam filij Patris mei, mihi pro ſuppetiis erunt: vt iam id quod Benoni matri dicebatur, id eſt filius doloris mei videbatur, patris imperio Beniamin, id eſt dexteræ filius fiat: nimirum quod illa animi portio quæ ſenſibus ſeruit, dolorem nominat,

minat, id ipſum à rationali & conſtantiori animi parte, quæ patrem ſapit, dexterę, id eſt fortitudini tribuitur. etenim

Virtutis eſt domare quæ cuncti pauent:

Hoc autem egregiè, nec difficulter à me pręſtabitur, ſi tuis iſtis diuinis in paſcuis aſſiduè poſſim ſaginari. Quid? quòd eadem & nobis & tibi paſcua ſunt, vtpote in quibus tu ipſe etiam paſci videaris: nam, quæ tua beneficentia eſt, tanto deſiderio communicandi te tuaq́ue teneris, vt inter accepta referas, ſi fortè quem inuenis, cui tua munera largiaris; quo fit, vt magis te hîc mihi exorabilem audeam ſpondere. Aliud etiam, quod à te petam, eſt, vt indices, VBI CVBES IN MERIDIE, efferueſcente nimirum in me paſſionis ſole: quo tempore cùm tua mihi præſentia quàm maximè neceſſaria eſt, tum tu ad eorum morem qui meridiari ſolent, & propterea quietem ac ſolitudinem captant, abſcondere te videris. Hinc non rarò fit, vt æſtus commoti affectus arcem ipſam mentis te dormiente inuadat, eamq́ue tantum non expugnet. Regnat enim ſiue iræ, ſiue cupiditatis, ſiue timoris, ſiue cuiuſque minùs benè moderati affectus violentia, cùm admittitur, & tyrannidem occupat. Hoc ergo impetratum à te velim, Dilectiſſime, vt vmbras mihi tuas oſtendas, quò æſtuante ita animo te etiam

etiam inuenire possim, omnes sic aduersitates facilè superatura. Vltimum malorum, quibus in præsentiâ remedium flagito, est, NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIVM TVORVM: id est, illarum occupationum, & studiorum, ac doctrinarum, quæ aut mentem meam diuisam tenent, vt nec integris viribus, nec ex totâ animâ tibi vacem; aut planè à te separant, & sibi totum illud vendicant, in quo ne partem quidem vllam deberent obtinere. Hos, etsi aduersarios tuos esse scio, sodales tamen tuos voco, quòd similitudinem boni mentiantur, & eâ specie aditum sibi apud minùs circumspectos inueniant. Nomino tamen etiam greges, eò quòd omne, quod à te summo & vnico bono meo mentem auertit, id profectò rationale nihil sapit. Et tamen neque armenta dixerim occupationes illas, quæ nos à te separant, & numero potiùs quàm pondere momentum habent, vt puta quæ contemni singula possent, nisi frequentiâ aut iteratione crebrâ rebus sanctioribus tempus præriperent. Imò ne illas quidem doctrinas, quæ te excludunt, armenta vocem; etenim nihil solidi, nihil quod alicuius roboris sit, habent, maximè si cum sanctissimis tuis institutis componantur. Hoc etiam ille experientiâ comprobatum habuit, qui dixit: *Narrauerunt* Psal. 118. v. 8.

runt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Vt vt tamen ſunt, maximum atque adeò frequenter capitale damnum inferunt, qui te nobis adimunt: quare nihil magis mihi formidandum, quàm ne à ſeductoribus illis in auia & deuia diducar. His accedit, quòd ouium à grege aberrantium ea aut ſtoliditas eſt, aut potius miſeria, vt ſine alterius ductu facilè in viam non redeant: ita enim & mihi accidit, vbi aut paſſionis impetu, aut aliâ quauis occaſione à te diuellor, vt vel ad breue tempus abſim; inde non facilè ad conſueta pietatis exercitia, niſi poſt longa diuerticula, me recipio. His itaque difficultatibus vt obuiàm eatur, obſecro vt ita me ſemper tibi coniunctam ſerues, ne vel in minimo aliquo incipiam à te diuagari.

NOTÆ.

INDICA MIHI, QVEM DILIGIT ANIMA MEA.] *Origenes Hom.* 2. Nouo nunc nomine Sponſa appellauit Sponſum: ſciens enim ipſum eſſe filium charitatis, imò ipſum eſſe charitatem quæ ex Deo eſt, quaſi vocabulum ei iſtud poſuit, Quem dilexit anima mea. & tamen non dixit, Quem dilexi; ſed, Quem dilexit anima mea: ſciens non qualicumque dilectione, ſed ex totâ animâ, & ex totis viribus, & ex toto corde habendam eſſe dilectionem Sponſi.

S. Gregorius Nyſſenus Hom. 2. Renuntia mihi, Quem diligit anima mea: ita enim te nomino, quia nomen

nomen tuum ſuperat omne nomen, omnemque intelligentiam.

Sanctus Auguſtinus Sermone 50. de Verbis Domini, cùm hunc ex Cantico hoc locum citaſſet, Quid eſt, *inquit*, quod amat? Quid eſt quod ardet? Quid eſt quod tantum, ne ab illo aberret, timet? *** Verũ quomodo illa ſic amaret, ſi ille illi ſic appareret, quomodo cęcis perſequẽtibus, & quid faciebant neſcientibus? Qualem ergo illa amauit? Speciosũm formâ præ filiis hominum. Speciosus formâ præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Ergo de ipſis labiis tuis annuntia mihi quem dilexit anima mea. Annuntia, inquit, mihi, ô quem dilexit non caro mea, ſed anima mea. Annuntia mihi vbi paſcis, vbi cubas in meridie.

VBI PASCAS.] Vbi paſcis bone paſtor, *inquit S. Gregorius Nyſſenus*, qui ſuper humeros tollis ouem? vna eſt enim ouis vniuerſa humana natura, quam ſuſcepiſti ſuper humeros. Oſtende mihi locum quietis, educ me ad herbam bonam ad nutriendum. * * * * Doce me, inquit igitur, vbi paſcas, vt ſalutari inuentâ paſtione, cæleſti implear nutrimento: quod qui non comedit, non poteſt vitam ingredi ſempiternam; & accurrens ad fontem, diuinum potum hauriam, quo tu, tamquam ex fonte, præbes ſitientibus aquam, profundens ex tuo latere, ferro hac venâ apertâ: quam qui guſtauerit, fit in eo fons aquæ ſalientis in vitã æternam. *De his paſcuis nemo ſolidiùs & pleniùs paſtore ipſo, ita enim loquitur apud Ezech. 34. v. 12.* Sicut viſitat paſtor gregem ſuum, in die quando fuerit in medio ouium ſuarũ diſſipatarũ: ſic & viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſę

 fue-

fuerant in die nubis & caliginis. *& verſ.14.& ſeq.* In paſcuis vberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſraël erunt paſcua earũ: ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſraël. Ego paſcam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat conſolidabo, & quod pingue & forte cuſtodiam, & paſcam illas in iudicio. *Videri etiam poſſunt Origenes Hom. 2. S. Aponius lib. 2. Commentariorum, qui inter alia ita loquitur de paſcuis Domini:* Vbi anima pro capacitate ſenſus ſui, quanta voluerit, paſcua miri ſaporis currendo decerpit. Vbi poſt ardentis nequitiæ ſolis æſtus, ſub tegmine defenſionis Crucis in perſpicuo intelligentiæ lumine, Dei hominiſque ſocietate, agnito redemptionis myſterio, à diaboli impetu, qui ſoles mentitur, defenditur.

S. Ioannes Chryſoſtomus in Pſal. 22. de ſanctis his paſcuis egregiè: Vultis ſcire quomodo Deus paſcit præſtolatores ſuos, id eſt ſuſtinentes ſe? Dixit Propheta in illis diebus: Mittam in illos, non dico fa- *Amos 8. v.11.*
mem panis, aut ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei. In iſto campo legis, & in floribus teſtimoniorum, cùm anima noſtra venerit, reficitur, paſcitur, nutritur, pingueſcit, exultat, & ſimplicitate cordis proficit: ibi anima collocata requieſcit, exultat & gloriatur.

Claudam hanc expoſitionem cum Arnobio in eumdem locum Pſalmi: Dicant, qui volunt, Reget me ager meus, nihil mihi deerit. dicat alius: Reget me negotiatio mea, aut militia mea, aut induſtria mea,

aut

aut literæ meæ, & nihil mihi deerit. Nos dicamus cũ Ecclesiâ, Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Vox ista contemnentis est, si habeat, aut habere nolentis, si non habeat. *Quod ille de voce Psalmistæ, cur non idem nos de Sponsæ petitione dicamus?*

Alterum horum verborum sensum adfert S. Gregorius Magnus lib. 30. Moral. cap. 18. pascendi enim vocem pro ipsâ pabuli fruitione accipit, quo sensu ipsa animalia pascere dicuntur; vt apud Poëtam, Eclog. 5.

— pascentes seruabit Tityrus hœdos.

Ita ergo habet sanctus ille Doctor in Iob 39. vers. 8. Circumspicit montes pascuæ suæ. Montes, *inquit*, accipimus omnes elatos huius sæculi. **** Tales Dominus Ecclesiæ suæ corpori conuersos inuiscerat, eosque à priori elatione commutans in sua membra transformat: isti montes pascuæ eius sunt **** In his itaque montibus pascitur, qui bonis operibus conuersorum, quasi herbis virentibus satiatur: hinc est, quod ei Sponsæ voce in Cantico Canticorum dicitur: Indica mihi, vbi pascas.

VBI CVBES IN MERIDIE.] *Mitto quod iam ex Aponio allatum.*

Honorius Augustodunensis: Meridies, cùm sol feruet calore, est tentatio, quæ carnem libidine, vel animam accendit iræ ardore. Locus autem vmbrosus est animus castus. Et sicut pastor æstum in meridie in opacum locum declinat; ita Christus in æstu tentationis in castis cubat, quos & suâ theoriâ vel diuinâ contemplatione pascit.

S. Gregorius Magnus hic: In meridie Christus sub vmbrâ pascit, & cubat; quia in refrigeratione Spiritus sancti sibi quasi requiem & pastum parat. Per meridiem quippe ardor vitiorum exprimitur,

per vmbram verò ſpiritalis gratiæ flatus deſignatur. Meridie ergo feruente in vmbrâ Chriſtus requieſcit quia dum in reprobis æſtus vitiorum flagrat, ipſe Sponſæ ſuæ ſpiritum refrigerij tribuit, & in eâ ſibi delectabilem locum quietis efficit.

Venerabilis Beda lib. 2. in Cant. Corda fidelium ſuorum, ne feruore tentationum intus areſcant, memoriâ ſupernę ſuauitatis reficit, & in eis ipſe propitius manere conſueuit.

NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIVM TVORVM.] *S. Gregorius:* Verè, in quo Chriſtus non cubat, vagatur; quia mens, quam ille ſuauis & ponderoſus Chriſti Spiritus non implet, multis cogitationibus diſſoluta circumfertur. Sed qui ſunt ſodales Chriſti, per quorum greges Sponſa vagari pertimeſcit, niſi falſi quique Chriſtiani? Qui aut ob nominis ſolius, aut etiam Sacramentorum communionem fratres Chriſti vocantur; quia electis, quos ipſe fratres vocauit, in Eccleſiâ cohabitando ſociantur; quorum multitudines benè per exprobrationem greges appellantur, quia dum quaſi irrationabilia animalia ſine ordine viuunt, ſeductoribus ſpiritibus ad deuorandum traduntur. Per huiuſmodi greges vagatur, quiſquis ab intimo deſiderio expulſus, reproborum ſtultitiam per ſimiles cupiditates imitatur.

S. Bernardus Serm. 33. vult per greges ſodalium ſignificari peruerſa dogmata, aut propoſita virtutum apparentium, eo ſaltem nomine noxia, quòd aut præter diſcretionem aut importunè ſuſcipiantur, vnde fit vt veris virtutibus impedimentum ponant; de his autem ille ibi & eleganter, & prolixè, ac magis quàm vt hîc referantur. S. Auguſtinus Serm. 50. de Verbis Domi-

Domini c.7. Aponius lib.2.in Cant.S.Iustus Orgelitanus,& Philo Carpathius, accipiunt per istos sodales hæreticos; quapropter mirum nemini videri debet, quòd nos greges sodalium Sponsi de illis animi motibus exposuimus, qui in rei veritate Sponso aduersantur, in animâ tamen simul cum ipso stabulantur.

SECTIO IV.

Sulamitis discit se difficultates istas citra pugnam non superaturam, & de modo pugnandi cum illis.

TEXTVS, *ex cap.* 1. *vers.*7.8.

7 SI ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum. 8 Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.

PARAPHRASIS.

Ex istâ oratione meâ constare satis poterat, omnium me mearum difficultatum medelam in solâ quæ ex Deo est oblectatione reponere. Sed iudicium istud meum mox egregiè à Dilecto meo castigatum & correctum fuit.

Amabat enim ille quidem me,& amabat tenerè, eratque ad vota mea facilis: nolebat tamen illam suam facilitatem mihi ad ignauiam prodesse. Vt igitur me ad agendũ excitaret,ita mecũ loqui institit: Ignorare adhuc conditionis tuæ statum videris Sulamitis; quod enim à me impetrare contendis, vt ego tibi omnia in omnibus sim,idque sine omni luctâ & pugnâ tuâ, id huius militiæ,in quâ tu etiam nunc versaris, non est,sed beatitudinis futuræ. Quis vmquam ante victoriam triumphum, aut ipsam sine certamine victoriam obtinuit? Si ergo ita est, vt dico: SI IGNORAS TE, O PVLCHERRIMA INTER MVLIERES: (Titulo isto quasi iterùm beneuolentiam captans, ne animum desponderem, videbatur me præarmare,) tu quidem supra alias mulieres magnis à me ornamentis decorata es, vt & inter æquales hactenus tuas planè excellere videaris; ex eo tamen non fit, vt extra militantis Ecclesiæ sortem te constituas. Otium id,quò tu aspiras, præmium laborum erit: nemo nisi victor tutò bellum cum pace commutauit. Quare age pugnæ te potiùs quàm deliciis para: magno enim conatu & labore debellandus tibi venit hostis. Pugnæ verò ratio hæc erit. Principio,quòd filij matris tuæ tibi negotium facessunt, id mirum non est; iampridem ab

ipso

ſo ferè naſcentis mundi exordio promulgatum & quaſi indictum vobis iſtud bellum uit. Etenim ex quo primus gentis veſtræ parens præuaricatione mandati mei in peccatum incurrit, innata membris veſtris lex egi mentis repugnans, inimicique hominis domeſtici eius fuerunt; neque vlla ex eo pax, induciæ nullæ fuerunt, nulla ſolida animi requies, niſi cùm victrices è corpore tamquam è ſtatione, aut potiùs è palæſtrâ, iuſſu ſummi Imperatoris aut Agonothetæ euocatæ, non rude tantùm, ſed & laureâ triumphali donantur. Remedium quæris? iam olim Abrahamo fideli meo in re non planè diſſimili ita conſului: *Egredere de terrâ tuâ,* Gen. 12.
& de cognatione tuâ, & de domo patris tui. Ita v. 1.
& tibi dico, Sulamitis, EGREDERE, relinque nequam illos matris filios: reſecanda tibi ſunt omnia, quæ ſcandalum pariunt, etiamſi ad modum manus, aut pedis, aut oculi connexa quotidiano vſui neceſſaria videantur: ſenſuum irritamenta non minùs hîc quàm in externo bello vires paulatim eneruant: non placent ſacrificia, quæ in hortis immo- Iſa. 65.
lantur ab illis, qui pulueris tactum refu- v. 3.
giunt. Ne fallaris; neque aurum luto benè miſcetur, neque cælum terræ, neque carnis oblectationibus deliciæ ſpiritales.

Deſeram iſta, inquis, vbi illis abundauero.

 Re-

Reuerà donec ita ſtatues, neutrum eueniet: neque enim tu aut deſeres illa, aut his meis abundabis. Sed eſto ſanè, euenerit aliquando vt ſicut clauus clauum pellit, ita corporis voluptas ſuperuenienti ſpiritus dulcedini ceſſerit, certè per quàm rarum id eſt. Neque ſi ſincerè iudices, æſtimabis verè amantem decere, in amati gratiam ne in minimo quidem à commodo ſuo velle recedere, niſi cum præſenti maioris boni lucro. Age ergo, exterioribus iſtis tu teipſam ſubtrahe vanitatibus, ac laboribus, & ferendæ cruci te para: ac deinde, non pro tuo beneplacito, ſed ex arbitrio meo, vbi & quantum mihi viſum fuerit, torrente voluptatum, cuius impetus ciuitatem Dei lætificat, perfundêris.

Quòd deinde quereris, inardeſcente paſſionum ſole me deliteſcere, id meæ culpæ non eſt, ſed negligentiæ tuæ, quæ permiſeris glaucomam oculis tuis obijci: neque enim ego me tibi occulo, neque deliteſco; ſed nihil mirum eſt, interim ab eâ me non videri, quæ nihil videt niſi quod prædominans paſſio proponit. Aduerte morbi cauſſam, ſi eius medicinam poſtulas. Abripi ſolent paulatim ab affectibus cogitationes, & priuſquam ratio notet, eò prolabi, vnde poſtmodum difficulter poſſint reuocari atque in ordinem redigi. Si ergo conſultum tibi vis, eorum tibi

exem-

exemplum imitandum puta, qui greges huc illuc crebrò & facilè diuagantes paſcunt cum præſenti aut periculo aut damno: cui vt occurrant illi, accuratiùs & preſſiùs eorum veſtigia ſequuntur, quos norunt frequentiùs ab aliis deflexiſſe: ita & tu, Sulamitis, ABI POST VESTIGIA GREGVM tuorum, cogitationesque tuas, quarum tibi curam commiſſam noſti, diligenter obſerua, vt obſtes malorum principiis, quòd vel ſolâ temporis morâ pericula & difficultates augeantur. Quòd ſi ſtatim in portâ inimicis locuta fueris priuſquàm intra ſepta aſſenſus pedem figant, triumphabis.

Denique, quid eſt quod te cogat alienis adeò negotiis implicari, vt tua deſeras? Quin, ſi me audies, in hac conuerſionis tuæ nouitate ibi potiùs eris, vbi alij te iuuent: quare PASCE HOEDOS TVOS IVXTA TABERNACVLA PASTORVM: multimodis enim proderit tibi in eorum conſortio vitam ducere, quorum conuerſatione melior teipsâ euadas: tales ſunt, qui verbis doceant, pręſentiâ recreent, vitâ & moribus præeant, veneratione ſui à malo reuocent, & in omnibus iuuent charitate. Ita enim fiet, vt eorum directione etiam hœdos tuos, qui aliàs ab ouibus ſeiunctam, id eſt ſiniſtram partem mererentur, ad meliora reducas, & felici meta-

mor-

morphoſi in oues conuertas: quâ in re mirum quantum peritiorum paſtorum proſit conſuetudo.

Ex hiſce Regis verbis non ſine aliquâ animi mei deiectione intelligebam, longè aliam mihi ineundam fore viam, quàm ego ipſa paullò antè mihi fueram imaginata: ne tamen ego puſillanimitate & difficultatum metu animum abijcerem, erigebat ipſe ſtatim me blandâ auxilij ſui numquam mihi defuturi oſtentatione, EQVITATVI, inquit, MEO IN CVRRIBVS PHARAONIS ASSIMILAVI TE AMICA MEA: illi enim equi, qui Regió currui adſeruantur, nec famem tolerant, nec obruuntur laboribus, nec vllâ ratione macie deformantur; quin & ipſum onus, quod trahunt, non tam oneri illis, quàm ornatui eſt: vnum ſolum curandum illis, vt aurigam audiant, & ad minimum freni motum huc illuc ſe inflectant. Itaque & tu, Sulamitis mea, iſtud tibi de me poteris polliceri, quod ſpondeo. Gratiæ meæ pabulum, quantum opus erit, numquam tibi deerit: ſed neque tentationes, aut labores, ſupra id quod poteris, erunt; omnia enim meo arbitrio meâque directione temperabuntur. Foüeberis à me, & ſaginaberis ſecundùm hominem interiorem fœcunda ſpiritus pinguedine: hoc age tu, vt quoſcumque voluntatis meæ inter-

interpretes habueris tibi præfectos, eorum ductum ſequaris, certa ab omni erroris periculo te remotiſſimam fore, ſi voluntatem tuam ad pij prudentiſque moderatoris dictamen compoſueris. Non inficior, vias, per quas tibi iter futurum eſt, hoſtium inſidijs infeſtas eſſe: verùm his firmata inſtructionibus, non eſt cur eorum ferociam aut fraudes magnopere formides; quandoquidem ſub eodem vexillo, eiſdem auſpiciis, contra eoſdem hoſtes mitteris, de quibus anteceſſores tui toties tam gloriosè triumpharunt. Reſpice equitatum Pharaonis in Mari rubro, vide quomodo omnes illius conatus in nihilum reciderint, nimirum me pro meis dimicante: nec diſparem in ſimili bello exitum tibi poteris expectare.

NOTÆ.

SI IGNORAS TE, O PVLCHERRIMA INTER MVLIERES.] *Errorem Sulamitidis, quaſi in bello pacem ſibi proponentis, obſeruauit etiam hoc loco S. Gregorius Papa:* Quiſquis neſcit ſe in hoc poſitum, vt tentationes per ſufferentiam vincat, à familiaritate Chriſti recedit: quia in bello poſitus, cum Domino ſuo pugnare recuſat. Sciendum eſt enim omnibus, quòd cùm in tentationibus ſumus, contra aëreas poteſtates pugnare præcipimur, qui ſint victoriâ coronari non poſſumus. *** Hoc qui ignorat, in bello eſt, & quaſi in pace exultat, & eò fre-

frequentiùs vulneratur quò ſecurior eſt, quia neſcit videre quem caueat. *Videri & poteſt Venerabilis Beda.*

S. Ioannes Chryſoſtomus Sermone illo, quo probat Martyres aut non laudandos aut imitandos eſſe, grauiter, inter multa alia, Vnde, *inquit*, tu Chriſtiane delicatus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugnâ vincere, ſine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio iſto concerta. Conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce: pactum, quod ſpopondiſti; conditionem, qua acceſſiſti; militiam, cui nomen dediſti. Hoc enim pacto quos miraris cuncti pugnarunt, hac conditione vniuerſi vicerunt, hac militiâ omnes triumpharunt. *S. Thomas putat hic moneri Sponſam, ne ignoret dotes & ornamenta quibus à Dilecto ſuo paullò antè fuerat ornata.*

EGREDERE, ET ABI POST VESTIGIA GREGVM.] *S. Ambroſius lib. de Iſaac & anima cap.* 4. *huc reſpexit, dicens:* Niſi cognoſcas te quia decora es, niſi pulchritudinem naturæ tuæ ſerues, & corporis illecebræ te non demergant, nec impedimenta detineant, nihil tibi naturæ melioris nobilitas ſuffragabitur. Cognoſce igitur te, & naturæ tuæ decorem. Exi quaſi exuta vinculis pedem, & nudo exerta veſtigio, vt carnalia integumẽta non ſentias, veſtigio, mentis corporalia vincula non implicent *** Vnde pulchrè ait ad animam: Exi à carnis imperio & dominatu, & exi non in carne, ſed in ſpiritu, & ad regimen poteſtatis. *De ſimili egreſſione vide S. Baſilium in cap. 7. Iſai. & in Reg. fuſiùs explicatis ad Interrogationem octauam.*

PASCE HOEDOS TVOS IVXTA TABERNACVLA

PASTO-

PASTORVM.] *S. Ambrosius lib. de Isaac loco citato:* Rege ea, quæ in sinistrâ tuâ sunt: nam si non regantur, facilè labuntur. Coërce petulantiam, lasciuiam tui corporis, & luxuriam irrationabilem: edoma leues motus, pasce eos non in corporeis tabernaculis, sed in tabernaculis pastorum, qui regere gregem norunt. Sunt enim amabilia tabernacula Israël, sicut nemora obumbrantia super flumen, in quibus anima, tamquam in procinctu bellico sita, bonam exercet militiam, & incursus explorat hostiles.

Rikelius Art. 4. Motus carnales & indomitos impetus passionum reprime, & reforma secundùm sanctorum Patrum doctrinam, exempla, & iussa.

Rabbi Salomon Iarhius hîc: Attende ad vias patrum tuorum, qui leges meas susceperunt, & seruarunt cautiones, præceptaque mea, & illorum viis insiste; atque ita eam ob rem pasces agnos tuos apud Principes populorum.

R. Abben Ezra: Paruulos hœdos pasce, vt & tu paruula es, supra tabernacula pastorum: nam illic est locus meus.

Videri etiam potest S. Hieronymus Epist. 4. ad Rusticum, ob similia vitam Cœnobiticam egregiè commendans, vbi inter cetera ita suadet: Seruias fratribus, hospitum laues pedes, passus iniuriam taceas, Præpositum Monasterij timeas vt dominum, diligas vt parentem; credas tibi salutare, quidquid ille præceperit: nec de maiorum sententiâ iudices, cuius officij est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse, Audi Israël, & tace. Tantis negotiis occupatus, multis vacabis tentationibus; & dum ab

alio

alio transis ad aliud, opusque succedit operi, illud solum mente tenebis, quod agere compelleris.

EQVITATVI MEO IN CVRRIBVS PHARAONIS ASSIMILAVI TE AMICA MEA.] *Recentiores communiter, &, ne nullum nominem, è nostrâ Societate Emmanuel Sa & Ioannes Mariana aliique passim alludi hic putant ad illum currum, illosque*
3.Reg.10. v.29. *equos, de quibus mentio est in libris Regum. At antiquiores ferè respiciunt ad metaphoricum equitatum*
Exod.14. v.24. *tum Dei, quo Pharao (vt in Exodo legitur) superatus, & in Mari rubro extinctus fuit. Itaque Origenes Hom. priori ex duabus in Cant.* Quantum differt equitatus meus, qui sum Dominus, & demergo in fluctibus Pharaonem, & cristatos eius, & ascensores eius, & equos & currus eius; quantum, inquam, differt equitatus meus ab equis Pharaonis, tantò melior omnibus filiabus tu Sponsa, tu Ecclesiâstica anima omnibus animabus, quæ non sunt Ecclesiasticæ. *Idem Hom. secundâ ex quattuor in Cant.* Beatæ ergo sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curuauerunt, vt suscipiant sessorem Verbum Dei super se: & frena eius patiantur, vt quocumque ille voluerit flectat eas, & agat habenis suorum præceptorum; quia iam non propriâ voluntate incedunt, sed ad omnia ducuntur, & reducuntur voluntate sessoris.

S. Gregorius Nyssenus Hom. 3. Quomodo fieri non potest, vt nauali prælio sit parta victoria, nisi nauticus exercitus demerserit exercitus hostium, qui est in nauibus; ita nec equestri prelio victus fuit quisquam, si non aliquæ equestres copiæ ex aduerso steterint. Quoniam autem, quod erat validissimum exercitus Ægyptiorum, in equis fuit, propterea

ptereà vim aduersus eos illatam, quæ non cadebat sub oculos, per quam aduersus Ægyptios parta est victoria, equitatum nominat Scriptura. *Animat ergo Sulamitidem suam Salomon cælestis, ne hostem metuat, cùm ipse victoriarum Dominus in omni periculo sit comes illi futurus.*

R. Salomon Iarhius ita legit: Ad equitatum meum in currû Pharaonis silentium tibi imposui socia mea. *Deinde paucis interiectis ita explicat:* Ad congregationem equorum multorum (collegi enim exercitus meos, vt in occursum tuum exirem in equos Pharaonis ad seruandum te, sicut scriptum est: Ambulasti in mari cum equis tuis, equis plurimis) ibi silere feci te ô socia mea, ibi conticescere feci clamorem tuum, iuxta illud: Dominus pugnabit, & vos silebitis. *Ita ille. Scio hîc nullam comparationem institui, pretium tamen operæ visum fuit hæc notare ob congruentiam, quam habet ista expositio cum illis quæ ex Nysseno attulimus.*

SECTIO V.

Meditationis studium, & familiaritas cum Deo commendatur.

TEXTVS, *ex cap. 1. vers. 9. 10.*

9 PVLCHRAE sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia. 10 Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

PARAPHRASIS.

HACTENVS quidem contra hostiles insidias & incursiones monuerat munieratque me Rex. Verùm enimuerò satis non est malum auertere, nisi in bono progressus fiat: & proinde quid vlteriùs à me requireret, continuatâ cum superioribus oratione perrexit indicare. Certum autem est, blandam & apud generosiores ac melioris notæ mentes efficacem exstimulandi rationem esse, si quis ita laudetur, vt ex eo non tam qualis sit, sed qualis esse debeat, intelligat: quippe & laudatam virtutem crescere, & pro calcaribus honorem & gloriam esse, nemo est qui non persentiscat. Ergo in stimulum maioris profectus Dilectum meum sic porrò loquentẽ accepi: Vt in omni conatu, Sulamitis mea, nihil potiùs spectari debet, quàm scopus quò studium & contentio ipsa dirigitur: ita vel maximè in religiosæ vitæ stadio nihil habetur antiquius, quàm purâ rectâque intentione in Deum ferri. Hæc autem ratio in te optimè constat: PVLCHRÆ enim SVNT GENÆ TVÆ SICVT TVRTVRIS: genæ, inquam, quæ in summo corpore quasi in speculâ quadam constitutæ oculos continent, qui finem respiciunt, imò & ex oculorum viciniâ non

rarò

rarò lacrymis madent. Etenim non tantùm ad optima contendis, idque modo optimo; quippe opera tua per se sancta ac laudabilia sunt, sed & quia in mei gratiam fiunt, eò euadunt meliora & præstantiora. Turturis autem genis aptè comparantur, non tantùm quòd id animalculum puritatis simplicitatisque symbolum sit, verùm etiam quia vnó tantùm compare gaudet: quemadmodum & tu purè casteque me quæris, huc studium omne tuum, huc tota mens animi dirigitur: at verò me absente nihil ex te nisi gemitus & suspiria audiuntur, stillantibus, vt iam tetigi, ex sacro lacrymarum rore oculis. Sancta verò puraque illa intentio splendorem omnibus operibus tuis & elegantiam singularem induit. Nam quemadmodum nitidum tersumque speculum, si soli id obijcias, solem quodammodò alterum refert; ita in meam gratiam præstita opera, diuinum etiam quid spirant. Verùm post intentionem istam actiones ipsæ in considerationem veniunt; in quibus illæ, quæ intellectus propriæ sunt, meritò primas tenent. Hîc ego interioris hominis collum considero, quo vota & calidæ aspirationes sursum, ipsumque animæ nutrimentum à capite deorsum ad aliorum membrorum nutricatum mittuntur. Dicam clariùs. Meditatio tua, & oratio quâ mihi

tua commendas, meque ipsum, & mea in te transfers, talis est, vt nullo exteriori cultu ad ornatum indigeat. Vno verbo, COLLVM TVVM est SICVT MONILIA; adeò venustum, adeò speciosum decore natiuo, vt nulla monilia requirat. Neque à columbæ turturísve exemplo etiam in hoc ipso recedis: etenim vt iris ex aduerso sole splendorem mutuata, omnem picturæ venustatem excedit; ita & columbinum istud tuum collum meâ irradiatum luce eum induit nitorem, cui nullus auri splendor, nullus fulgor gemmarum possit comparari. Quippe nihil sub sole aut cælo pulchrius digniusq; animâ humanâ, quæ omnes ingenij vires eò studiosè versat, vt diuinæ gratiæ, suæque culturæ, in iis quæ auctorem suum spectant, subseruiat. Enimuerò sine causa cõqueruntur multi, quòd modum benè orandi ignorent: neque enim ad id opus est verbis, aut conceptibus, qui fucum redolent. Ego mentem purosque cordis affectus specto: si desiderare ardenter nosti, abundè oras. Excita te in amoris actus, si potes; si non potes, eo nomine cor tuum durum argue, increpa, deplora, & sat oras. Numquam itaque orare desinet, qui assiduè amabit aut amare desiderabit. Et hæc quidem colli decora in totius vitæ decursu manifestè patent; at verò in ipso meditationis actu maximè

ximè elucescunt. Quòd si autem tuum collum istud ampliùs ornare lubet, ego ipse adero; nosque ambo simul vnito studio MVRENVLAS AVREAS FACIEMVS TIBI, VERMICVLATAS ARGENTO. me nimirum cælitus lucem dante, & conferente gratiam, te verò animi oculos in illud lumen intendente; vt quæ à me reuelantur perspicias, & nisu tuo addito tua quodammodò efficias: eæ autem murenulæ aureæ erunt, argenteis quibusdam fibris ac punctis interstinctæ, cùm spiritalis sensus maiestas in sacris Scripturis ita tibi innotescet, vt literalis interim sensus non parum mentem ruminantis afficiat. Macta ergo esto Sulamitis, nec ab isto, quod cœpisti, animum remitte, vt ad murenulas istas sublimioris contemplationis te paulatim pares, in quibus meæ operæ excellentiam agnosces & miraberis.

NOTÆ.

PVLCHRÆ SVNT GENÆ TVÆ SICVT TVRTVRIS.] *Genis intentionem significari, & eam quidem duplicẽ, vt notauimus, auctor est S. Bernardus Serm.*40. Duo quædam, *ait ille*, in intentione, quam faciem animæ esse diximus, inueniuntur necessaria, res, & caussa; id est, quid intendas, & propter quid. Ex his sanè duobus animæ vel decor vel deformitas iudicatur; vt, verbi gratiâ, anima quæ vtraque hæc recta atque pudica habuerit, illi meritò veraciter-

que dicatur: Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis,*&c. Proprietates porrò illas turturis, quas notauimus, idem S. Bernardus eodem Serm. ſed paullò inferiùs, adfert.*

COLLVM TVVM SICVT MONILIA.] *Honorius Auguſtodunenſis notauit collo intellectum ſignificari, propterea quòd ſpiritum animæ coniungat; ita enim in hunc locum ſcribit:* Animæ collum eſt intellectus, quia animam & ſpiritum iungit, vt corpus & caput. Duæ quippe ſunt vires animæ, ſuperior, quæ vocatur ſpiritus, quâ ſpiritalia tractamus; & inferior, quæ nominatur anima, quâ corporalia diſponimus: hæc duo intellectus, quaſi collum caput & corpus, coniungit.

Similia etiam S. Bernardus Ser. 41. notauit. Collo cibum in corporis nutrimentum deorſum ferri, obſeruauit in hunc locum vterque ex dictis Auctoribus. Honorij verba ſunt: Eſcam à capite acceptam in corpus traijcit [intellectus] dum ſpiritalia quæ intelligit, in ventrem memoriæ recondit. *S. Bernardi, ſi placet, loco à me allato vide. Externo verò cultu non indigere hanc ingenij cum Deo coniunctionem, ibidem docuit etiam S. Bernardus.*

MVRENVLAS AVREAS FACIEMVS TIBI, VERMICVLATAS ARGENTO.] *S. Gregorius Nyſſenus Hom. 3. nondum recedit ab illâ comparatione de equitatu aut equis Pharaonis. Docet ergo, collum ſponſæ curuaturæ equini colli comparari; quæ in equis illis apparet, quâ obliquato capite terram, aut potiùs pedes intueri diceres; vnde & ab offenſione in lapides magis tuti videtur. Vbi autem nos* monilia *legimus, ibi ille* ὁρμίσκους *habet, diminutiuum* τοῦ ὅρμου, *quod* ſinũ maris *&* portum *ſignificat: quâ voce putat alludi ad tranquil-*

quillitatem, quam nautæ post maris agitationem in portu inueniunt. Ingeniosè itaque colligit, pacatam animi quietem, & constantiam à passionum turbinibus tutam, ex viarum suarum diligenti consideratione nasci.

S. Iustus Orgelitanus Antistes in corpore Christi mystico, id est in Ecclesiâ, colli huius expositionem maximè putat illis congruere qui legem Domini (*ita enim loquitur*) diebus ac noctibus meditari non desistunt, quique etiam veluti munda animalia salutarem doctrinam iugiter ruminando reddunt. *Ex quo consequens fit, si tropologicè hæc accipiamus, ad ipsum meditationis exercitum hæc congruè applicari.*

Venerabilis Beda murenalas *has nobiles Scripturam sacram exponit; in quibus aurum spiritualis sensus arcana, argentum verò literam ipsam significet: & eum qui in eâ est ornatum, planè eo quo nos posuimus modo, interpretatur.*

SECTIO VI.

Praxis orationis mentalis.

TEXTVS, *ex cap.* 1. *vers.* 11. 12. 13.

11 DVM esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorē suum.
12 Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.
13 Botrus Cypri Dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

PARAPHRASIS.

PRO ſtimulis mihi fuerant verba Dilecti: quare ſtatim in ſanctâ meditatione leuaui oculos meos ad montes, vnde venturum erat auxilium mihi. Meditationis meæ praxis hæc erat. Principiò proponebam oculis animæ meæ ipſum Sponſum, tamquam Regem auguſtâ ſpecie in ſolio gloriæ reſidentem, omnia poſſidentem, omnia moderantem, nullius indigum, omnibuſq; ibi affluentem bonis, vndique toto cælorum exercitu circumſtante, Seraphim alternatim ingeminantibus Sanctus, Sanctus, Sanctus, & DVM eo modo ESSET REX IN ACCVBITV SVO, NARDVS MEA DEDIT ODOREM SVVM. nam, quidquid in me pulchri boníve erat, id omne ego nardo, vili & abiectæ herbulæ, & vix vltra terram ſeſe erigenti, comparabam: & vt nardus calidæ naturæ, & gratiſſimi odoris eſt; ita ego, quantum in me erat, totam me amoris igne ſuccenſam, in Regis gloriam quaſi in odorem ſuauitatis exhalare contendebam. Magna hîc meditandi ſeges ex diuinæ immenſitatis & meæ contemptibilitatis conſideratione, ſimul cum oblatione eius, quidquid id eſt, quod in me eſt boni. Verùm vt præter Altare thymiamatis,

miamatis, etiam in Templo Dei alterum holocausti & victimarum esse voluit Deus; idipsum significo per ipsam nardi amaritiem, vt documento sit, me coram Deo, aut in ipsius laudibus, aut in mei edomatione occupari debere.

Hac consideratione præmissâ, alteram item addidi: FASCICVLVS MYRRHÆ, dicebam, est DILECTVS MEVS MIHI, dum omnia quæ in vitâ & morte in mei gratiam aut fecit aut perferre voluit, quæque tam verbo quàm exemplo docuit, recogitaui in amaritudine animæ meæ. Hic autem fasciculus assiduè INTER VBERA MEA COMMORABITVR: nulla enim vmquam aut obliuio, aut temporis intercapedo, eius in me memoriam obliterabit: imò verò, potiùs quàm ob meas occupationes aliquid hæc consideratio impedimenti accipiat, faciam, vt eius odoris fragrantiâ omnes meæ actiones perfundantur, vt in posterum in tormentis & difficultatibus adeundis tanti præcessoris vestigia audentiùs insequar, & specimen verè amantis in ipsius imitatione præ me feram: quod eò mihi facilius factu reddet amor, quòd istud mihi non tamquam fascem, sed potiùs tamquam fasciculum, qui facilè feratur, repræsentet. Sed hæc in opere posteà elucescet, quæ nunc in meditatione, vt in semine quo-

dam, proponuntur. Denique BOTRVS CYPRI eſt DILECTVS MEVS MIHI, IN VINEIS ENGADDI, vt & eius in me beneuolentiam clarè aduertam ac profitear, & vindicatiuæ tamen iuſtitiæ grauitatem, quæ etiam in eo tremenda eſt, ex animo non ſeponam. Etenim vineæ Engaddi, & fertilitate ſuâ & fructuum præſtantiâ nobiles, benignitatem & liberalitatem Dei egregiè teſtantur. Sed cùm eædem vineæ, ſi regionem loci ſpectes, iuxta Mare mortuum ſitæ ſint; ibidem etiam vindictæ diuinæ in omnes flagitioſos argumenta & veſtigia conſpiciuntur. Nempe voluit liberalis mei amator, me amicam & placitam ſibi animam in me ipsâ quidem bonitatem ſuam perſentiſcere; at nihilominùs in aliis tamen videre puniendi acrimoniam. quaſi diceret: *Cadet à latere tuo mille, & decem*
Pſal. 90. v.7. *millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis conſiderabis, &*
v.10. *retributionem peccatorum videbis. ***. Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Itaque magnus ille Dominus, & Rex magnus, etſi ſuos præmiis & beneficiis inuitat, terret tamen etiam pœnis, preceſque, ſed non ſine minis, nobis obtendit. Oſtendit itaque, licet malit nos ſpe & experientiâ boni quàm metu mali in officio contineri, illum tamen, qui ſeruilis eſt,
timo-

timorem interdum etiam, maximè in conuersionis initio, cum laude & fructu excitari.

Tria ista, quæ iam retuli, benè discussa, latissimum singula ad meditandum campum aperiunt: sed hoc neutiquam prætereundum, quòd ex eisdem methodus & forma benè instituẽdæ meditationis mihi sese obijceret. In quâ principiò non parua animi neq; perfunctoria præparatio adhibenda: hæc verò magnâ ex parte consistit in diligenti & viuâ consideratione præsentiæ diuinæ, coram quâ anima seipsam summâ cum sui demissione & reuerentiâ statuat. Id ipsum ergo ego faciebam, cùm dicerem: DVM ESSET REX IN ACCVBITV SVO, NARDVS MEA DEDIT ODOREM SVVM. Præmissâ præparatione instruitur intellectus, vt propositæ alicuius veritatis capax fiat. Id fit cùm salutaria documenta & præcepta eliciuntur. Et hac in re nusquam vberior seges, quàm in contemplatione earum rerum, quæ Dei Filius in hac vitâ aut facere voluit, aut perpeti: hinc FASCICVLVS MYRRHÆ factus est DILECTVS MEVS MIHI, qui & INTER VBERA MEA COMMORABITVR: vt cordi assidua eius memoria semper obuersetur. Vltimò permouenda est voluntas, ad ea quæ intellectus dictauit gnauiter exequenda: huc facit consideratio diuinæ iustitiæ, præmiis pœnisque

que nobis ob oculos positis: cuius rei specimen erat, cùm BOTRVS CYPRI fuit DILECTVS MEVS MIHI, IN VINEIS ENGADDI.

NOTÆ.

DVM ESSET REX IN ACCVBITV SVO, NARDVS MEA DEDIT ODOREM SVVM.] *S. Bernardus Serm.* 42. Nardus, *inquit,* herba humilis est, quam & calidæ ferunt naturæ hi qui herbarum vires curiosiùs explorarunt: & ideò per hanc mihi non inconuenienter videor virtutem humilitatis accipere, sed quæ sancti amoris vaporibus flagret. *Distinguit inde humilitatem veritati innixam, quâ quis meritò se contemptibilem agnoscit; & alteram charitate suffultam, quæ & ab aliis se vilem haberi velit, ob amorem eius cui placere contendit. & de vtrâque fusè, &, suo more, eleganter disputat.*

Dionysius Rikelius huic loco accommodat id quod de S. Francisco legitur: qui, *vt idem narrat,* non solùm mente raptus, sed & corpore eleuatus in aërem in altissimâ contemplatione clamauit: Deus meus, Quid tu? &, Quid ego? atque, vt posteà fatebatur, aperti ei fuerunt duo libri, id est illuminatio duplex, in quâ & Dei sublimitatem, & propriam defectuositatem, cum ingenti admiratione conspexit. *Ita ille: & addit postea, in diuinâ contemplatione clarissimè proprias ærumnas & culpas agnosci: cui non absonat, quòd R. Salomon hoc loco Sponsum introducit dicentem:* De me quidem optimè meritus es, ego verò de te pessimè. *licet is per nardum istam odoriferam non tam humilem peccati agnitionem, quàm peccatum ipsum accipiat. Duplicem istam cognitionem osten-*

ostendit S. Antonius Magnus (Epistola 6. ad Arsenoitas) ita se habere, vt vna ex alterâ nascatur. Verba eius hæc sunt: Quicumque nouerit seipsum, dispensationem proprij Conditoris, & quidquid ille faciat, etiam agnoscit. *Ex quibus inferri potest, cognitionem Dei in homine prouenire, qui cognitionem sui veram habeat.*

Origenis hîc etiam elegans est explicatio: Homiliâ enim secundâ ex quatuor hoc modo legit: Nardus mea dedit odorem eius, id est Sponsi. quasi dicat: Nardus mea, quâ vnxi Sponsum, ad me regressa odorem mihi detulit Sponsi, & veluti naturali suo odore superato fragrantiâ Sponsi, ipsius ad me detulit suauitatem. *Addit deinde simile in S. Mariâ Magdalenâ, pedes, & inde caput Domini vnguento perfundente, cuius vnguenti fragrantia, à diuini attactu corporis variata, ad ipsam reuersa fuit, atque adeò totam impleuit domum.*

FASCICVLVS MYRRHÆ DILECTVS MEVS MIHI, INTER VBERA MEA COMMORABITVR.] *S. Gregorius Nyssenus fasciculum myrrhæ inter vbera Sponsi commorantem, & quasi cordi impressum, atque in eo adseruatum vult, ac ex eo in totum corpus redundantem fragrantiam statuit, vt ipsa etiam quodammodò Sponsum obeat.*

Aponius ait, Martyrum fortitudinem & constantiam in tormentis nihil fuisse nisi fragrantiam aliquam huius fasciculi.

S. Bernardus Serm. 43. *notauit minutiuam vocem* fasciculus *non* fascis *hîc vsurpari.* Propterea, *inquit,* non fascem, sed fasciculum dicit Dilectum, quòd leue pro amore illius ducat, quidquid laboris immineat, vel doloris.

He-

Honorius, vt nos signauimus, putat, veluti in meditatione contingit, hic propositum tantùm tolerandi fieri; & Sponsum ita imitandi. sic enim scribit: Huic [animæ] fit Dilectus fasciculus myrrhæ, quando omnia amara Christi in animo colligit, & pro eo mala pati à proximis disponit.

BOTRVS CYPRI DILECTVS MEVS MIHI, IN VINEIS ENGADDI.] *Origenes Hom. secundâ in botro Cypri etiam mistam dulcedini amaritiem agnoscit; licet non eam quæ ex consideratione iustitiæ vindicatiuæ sit: quò tamen Rikelius in hunc locum respicere videtur.*

Fabulosum videtur quod R. Salomon Iarhius habet de fertilitate vinearum Engaddi: nimirum eas quater quiniésve in anno fructus ferre; quod ex Agadâ Hebræorum libro accepisse se ait.

Honorius Augustodunensis breuissimè totum hunc locum de Christo exponit, quòd fuerit nardus in nascendo, myrrha in moriendo, botrus in resurgendo.

SECTIO VII.

Fructus qui ex oratione mentali promanauit.

TEXTVS, *ex cap.* 1. *vers.* 14. 15. 16.

14 ECCE tu pulchra es Amica mea, ecce tu pulchra es; oculi tui co-
lumbarum. 15 Ecce tu pulcher es Dile-
cte mi, & decorus. Lectulus noster flo-
ridus:

ridus: 15 tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

PARAPHRASIS.

MEDITATIONIS sacræ vsus non exiguum mihi ad vitam sanctiorem auxilium tulit: quod ipsum vt foueret Dilectus meus, magno cum plausu excepit; itaque exclamabundus, ECCE TV PVLCHRA ES AMICA MEA, dicebat: repetebatque quod dixerat, ECCE TV PVLCHRA ES, aut vt in gemino amore, nimirum Dei & proximi, me profecisse ostenderet; aut quia sancta ista occupatio diuina meditandi duplici ornatu animum afficit; quia & ipsa ob pios affectus, qui ibi eliciuntur, Deo gratissima est; & multò etiam fit gratior, ob variarum semina virtutum, quæ inibi iaciuntur, & postmodum in quotidianæ vitæ consuetudine in vberrimũ sanctorum operum prouentum excrescunt. OCVLI TVI, pergebat porrò Sponsus, COLVMBARVM, id est simplices & puri, & sancti Spiritus, vt cui columbæ species optimum symbolum est, figuram referentes; propter quæ eorum ego aspectu plurimùm delector, & tam videre eos, quàm ab eis videri, summopere desidero. Ita ille. Ad quæ ego, non immemor omnem laudem, si quæ hominibus tribuitur, in ipsum

ipſum boni totius auctorem eſſe referendam, ferè totidem verbis, ECCE TV PVLCHER ES, dicebam, DILECTE MI, ET DECORVS. Notus quidem ſemper decor tuus, tuáque præſtantia fuerat; verumtamen in ſancto hoc meo exercitio multò quàm anteà magis fuit perſpecta. Ita enim tua ſe venuſtas habet, vt numquam inſpiciatur ſine nouâ tui admiratione; quoque magis videtur, eò etiam ametur magis. Hæc dixeram. Et quia mutuus iſte applauſus ex oratione prouenerat, dulci concentu, & quaſi harmoniâ quadam ipſa epithalamium noſtrum concinens, ſanctæ Meditationis laudem, tamquam genialem noſtrum lectum, hoc modo celebraui: LECTVLVS NOSTER FLORIDVS eſt. Quid ni enim ita nuncupem id, vbi cum Deo meo Sponſo non minùs ſuauiter, quàm ſalubriter & ſanctè requieſco? Floridus inquam, hic eſt lectulus, dum in eo florida bonorum affectuum deſideria, & ſanctæ aſpirationes naſcũtur, & indies plures pulchrioreſque germinant. Lectulum tamen dico, non lectum. Quid enim tibi, qui cælum & terram imples, magnum ſatis & amplum ſit? Etſi tamen, quæ tua dignatio eſt, non inuitè te in has anguſtias contrahis, vt nobis adſis, vtpote cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis ho-
Prou. 8. v. 31. num. TIGNA prætereà trabeſque DOMO-
RVM

RVM NOSTRARVM CEDRINA ſunt, id eſt ſancta propoſita ſolidè roborantur in ſpiritalis ædificij firmitudinẽ & perennitatẽ. Ratio huius eſt, quòd adeò efficaciter ſanctiora cõſilia ſtatuantur, vt cedro ſolidiſſimo, & quod vermes planè neſcit ligno, actus illi meritò cõparentur. Hac in parte deficiunt illi, quibus, dũ cum Deo in precibus loquũtur, nihil videtur ſanctius, nihil pium magis: at minimo deinde reſtante vento, minimâ aduerſitate oboriente, omnia quæ anteà benè conſtituta & deliberata videbantur, excidunt & euaneſcunt. Denique LAQVEARIA NOSTRA, tecti venuſtas & ornamentum, quibus cæleſtis patriæ ſpes ſignificatur, vt & ipſa cæli effigies concameratum quoddam opus & fornicem refert, CYPRESSINA ſunt, & etiam ex notæ firmitudinis ligno. Talis enim fiducia adipiſcendæ aliquando beatitatis ſignificatur, vt ea non facilè collapſura, & ſibi innitentem deceptura videatur. In hoc peccant illi, qui peccatorum limo infixi, citra pœnitentiam vllam adeò ſibi indubitatè cælum ſpondere audent, vt vix Deo concedant de ſalute ſuâ magis ſecurus vt ſit quàm ipſi, quantumuis peccatores. At infirma ac ruinoſa illorum ſunt laquearia; in quibus dum miſeri triumphare videntur, nihil ſibi niſi certiorem ruinam inueniunt. At non ta-

lis erat noſtræ meditationis effectus, quæ nimirum ſatagebat per bona opera certam noſtram vocationem & electionem facere.

NOTÆ.

ECCE TV PVLCHRA ES, AMICA MEA, ECCE TV PVLCHRA ES.] *S. Gregorij Nyſſeni Hom. 4. in hunc locum conſideratio eſt, animam noſtram ſpeculo ſimilem eſſe, cui ea quæ obijciuntur ſpeciem ſuam imprimunt: vnde ſit, vt contemplatio de Deo etiam aliquid diuinum menti inſerat. quare ita legit*: Ecce tu pulchra es Proxima mea, ecce tu pulchra es. *quaſi Sulamitidi dicatur*: Pulchra es, quæ meæ luci appropinquaſti, per appropinquationem accipiẽs cõmunionem pulchritudinis. *S. Gregorius Magnus in hunc locũ ita*: Bis pulchrã Sponſus ſponſam vocat, quia cũ dilectione Dei & proximi, donat duplicem pulchritudinẽ, & inſerit, quâ delectatur, & quam laudat. *Origenes Hom. 3. in Cant. notauit, primùm Proximam eam vocari, deinde pulchram abſolutè*: Quòd non tantùm cùm proxima eſt, formoſa ſit; ſed & ſi cõtingat ei abſentem eſſe, etiam ſic ſpecioſa ſit. *Tres Patres apud Theodoretum idem innuunt, dum Sponſam* & actionis puritate præſtantem, & contemplationis luce ſplendentem vocant.

OCVLI TVI COLVMBARVM.] *Theodoretus, vbi nos* columbarum *habemus, legit* columbæ *in recto numeri multitudinis; & exponit:* Columbis oculi ſimiles dicuntur, id eſt ſpirituales, (nam ſub columbæ ſpecie deſcendit Spiritus ſanctus) & mox reuelatâ facie Domini gloriam contemplantes, in eamdem imaginem transformati à claritate in claritatem.

tem. *Columbarum ſimplicitatem in Euangelio ſatis celebrem reddit ipſius Chriſti teſtimonium.* *Matth.10. v.16.*

Sancti Spiritus in columbæ formam apparentis etiam hoc loco meminit Philo Carpathiorum Epiſcopus. Oculi, *inquit*, tui columbæ: non huius ſenſibilis, ſed illius cæleſtis & ſpiritalis, Spiritus ſancti, quem in columbæ formam in Sponſum ipſum deſcendiſſe nouimus; acerrimi enim viſus, acutiſſimi ſenſus, probatiſſimi officij, atque prophetici intellectus ac ſapientiæ eſt Spiritus ille columbæ cæleſtis, cui hanc *ſponſam* modò Sponſus comparauit. *Eiuſdem etiam ſancti Spiritus hoc loco mentionem facit Origenes Homil. paullò antè allatâ; & quidem, vt ad meditandi ſtudium eum reſpexiſſe agnoſcas,* Columba, *inquit*, indicium eſt Spiritus ſancti: ſpiritali ergo ſenſu intelligere legem & Prophetas, hoc eſt oculos habere columbæ.

Aponius lib. 3. in Cant. columbas manſuetudine, fecunditate, acumine viſus, velocitate pennarum omnibus ferè aligeris animantibus præſtantiores vocat: quæ ſingula quiuis facilè tropologicâ explicatione iis accommodet, qui in meditandi ſtudio benè verſantur.

ECCE TV PVLCHER ES, DILECTE MI, ET DECORVS. *Reciprocam hanc laudem eſſe ſe mutuò amantium, facile eſt aduertere: & apud Rupertum Tuitienſem Abbatem, qui Canticum hoc de beatiſſimâ Deiparâ exponit, ita hæc paraphraſi reddit Magna Mater:* Verè dicis mihi, Ecce tu pulchra es; & ego dico tibi, Ecce tu pulcher es: quia tu pulchritudo mea es. Quòd ergo ego pulchra ſum, totum id tibi tribuendum eſt.

S. Bernardus Serm. 45. Quàm in excelſo ſtat, & in ſublime mentis verticem extulit, quæ Dominum

vniuersitatis quadam sibi proprietate vindicet in Dilectam: attende enim, quomodo non simpliciter Dilecte, sed, Dilecte mi, dicit, vt proprium designaret. *Practicum est, & consideratu iucundum, quod idem S. Bernardus infrà eodem Sermone docet:* Verbo dicere animæ, Pulchra es, & appellare amicam, est infundere, vnde & amet, & se præsumat amari: ipsi verò verbum vicissim nominare Dilectum, & fateri pulchrum, quòd amat & quòd amatur, sine fictione & fraude adscribere illi, & mirari dignationem, & stupere ad gratiam.

LECTVLVS NOSTER FLORIDVS.] *S. Bernardi Serm. 46. explicatio est, hic cani epithalamium, & cubile ac thalamos describi. Non possum præterire eumdem grauiter hic arguentem illos, qui Dilectum non in lectulum floridum, sed in animum vitiis fœdum audent inuitare. Taxat autem grauiter Religiosos quosdam disciplinæ contemptores, proximis noxios, maioribus refractarios. Ne tamen nihil illis remedij adferat, introducit illos ita interrogantes:* Et quid me vis facere? *ac respondet:* Profectò vt primùm emũdes conscientiam tuã ab omni inquinamento irę, & disceptationis, & murmuris, & liuoris; & quidquid omnino aduersari cognoscitur aut paci fratrum, aut obedientiæ seniorum, de cordis tui habitaculo eliminare festines. Deinde circumdare tibi flores bonorum quorumcumque actuum, & laudabilium studiorum, atque odoramenta virtutum. *& paucis interiectis odoramenta illa enumerat:* Redolente nimirum conscientiâ, sed pietatem, sed pacem, sed mansuetudinem, sed iustitiam, sed obedientiam, sed hilaritatem, sed humilitatem. *Hæc ille. nec dissimiliter S. Gregorius:* Mens quæ Sponsum suum

suum Christum singulariter amat, in quantum potest, ab omnibus solicitudinibus mundi vacat: virtutes quibus Sponso suo placeat, intus accumulat. Quæ dum omnia quæ temporalia sunt contemnit, lectulum sibi cum Sponso in pace victoriæ facit; vbi quò quietiùs pausat, eò ampliùs flores inuenit, quibus se decoram Sponso ostendat. *Paruitatem & angustias lectuli in comparationem magni Dei obseruauit etiam Rikelius.*

TIGNA DOMORVM NOSTRARVM CEDRINA, LAQVEARIA NOSTRA CYPRESSINA.] *Cedrorum duritiem trabibus aptè accommodari, ostendit hoc loco S. Gregorius Nyssenus Hom.* 4. Eæ sunt, *inquit*, virtutes, quæ tentationum insultus in se non admittunt, vt quæ sint firmæ ac solidæ, nec facilè cedant; & hoc seruent, vt in tentationibus minimè molliantur à vitio. *Opponit deinde ei quod filius Sirach:* *Eccli.* 10. *v.* 18.
In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. *Denique per* laquearia cypressina *virtutes illas intelligit, quarum cultus in externo apparet, & proximorum instructioni seruit. Paullò quidem aliter, quàm nos. Alij tamen interpretantur nobiscum* laquearia *ista, vt æternitatem denotent. Theodoretus*: Tigna domus nostræ, cedri: laquearia nostra, cupressi. Hæc arborum genera posuit: quoniam cedrus incorruptione, cupressus odore præstat: vtrumque autem in diuinâ Scripturâ licet reperire. Quæ quidem nobis non modò lectus est, sed etiam domus, & mensa, & cibus; nec solùm odorem suauitatis suggerit, verùm etiam incorruptionem, veritatem, & immortalitatem pollicetur. *S. Ambrosius etiam cæli naturam cypresso tribuere videtur, cùm dicit Ser. 4. in Psal.* 118.

Genus hoc arboris numquam amittit ſuam viriditatem, hieme iuxtà ac vere atque æſtate comam paſcit, nec diuerſo colore mutatur. Solam hanc arborem ventus numquam ſuo honore diſpoliat: ſola numquam veteri exuitur amictu, & nouo flore veſtitur. *Hæc, quæ ille inſtructæ ſolidis virtutibus menti tribuit, non paullò certiùs conſtantiuſque cœleſti incorruptioni poſſunt accommodari.*

SECTIO VIII.

Varia bonorum operum exercitia, quibus Sulamitis occupatur.

TEXTVS, *ex cap.* 2. *verſ.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

1 EGO flos campi, & lilium conuallium. 2 Sicut lilium inter ſpinas, ſic Amica mea inter filias. 3 Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic Dilectus meus inter filios. Sub vmbrâ illius, quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. 4 Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. 5 Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo. 6 Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. 7 Adiuro nos filiæ Ieru-

Ieruſalem, per capreas ceruoſque cam-
porum,ne ſuſcitetis, neque euigilare fa-
ciatis Dilectam, quoaduſque ipſa ve-
lit. 8 Vox Dilecti mei, ecce iſte venit
ſaliens in montibus, tranſiliens colles:
9 ſimilis eſt Dilectus meus capreæ, hin-
nuloque ceruorum: en ipſe ſtat poſt
parietem noſtrum, reſpiciens per fene-
ſtras, proſpiciens per cancellos.

PARAPHRASIS.

VT non tantùm leuandæ fami, aut oblectando guſtui ſeruit cibus, ſed & vires confert ad quotidiana actionum negotia eodem modo, ſi quis non oſcitanter neque perfunctoriè ſe mentalibus exercitiis impendat, ille etiam in aliis pietatis operibus fortior fit & excitatior. Itaque à meditando ſubinde ſuperſedens, vt humana imbecillitas non minùs in his quàm in aliis quibuſuis aliquam interruptionem quandoque exigit, variis me impendebam virtutum exercitiis, qui quaſi fructus quidam præuiæ meditationis erant. Inter alia eram EGO ſicut FLOS CAMPI, non adſcititio ad oſtentationem, ſed genuino & natiuo virtutum decore conſpicua. Neque in-

tra horti ſepta inuidè aut auarè me recludendam; neque etiam in publicâ viâ tranſeuntium conculcationi exponendam putaui; ſed, quantum citra meum detrimentum poteram, inſpicientium oculos paſcebam, & bonum ex me ſpirabam bonæ ædificationis odorem: Inſuper eram ſicut LILIVM CONVALLIVM, intactæ puritatis, & ab omni grauiori noxâ illibatæ. Sed & humiliter de me & ſummiſſè ſentiens, de aliis verò altè & magnificè. Vt enim conualles vndique montibus cinguntur; ita ego omnes, quibuſcum agebam, quaſi me altiores digniore ſque ſuſpiciebam ac venerabar. Denique quia ex montibus in vicinas valles defluunt aquæ; aquis verò vexationes & tribulationes ſpiritus ſignificari ſolent; ita ego, ſi quid mihi moleſtiæ à proximis inferebatur, eas ego libenter aut ſanè toleranter ſuſcipere conabar, aduertens eiſdem etiam aquis diuinæ gratiæ affluentiam denotari. Quippe quò plus moleſtiarum ab hominibus ex amore Dilecti mei ſuſtinebam, eò certiores ab ipſo beneuolentiæ ſignificationes expectabam: nec fruſtrà; neque enim nouum eſt liberaliſſimo Regi, benedictiones pro maledictionibus rependere. Dictum iſtud meum ſuo mox Dilectus teſtimonio confirmabat: SICVT LILIVM eſt INTER SPINAS, dicebat, SIC

AMI-

AMICA MEA INTER FILIAS; mitis inter duras & asperas, ouis inter lupos. Tú enim virtus maximè elucescit, cùm in variarum pressurâ difficultatum constituta, suo se conatu ab omni situ & torporis scoriâ ac ferrugine purgat, & splendorem induit. Quòd si quæ ab illis difficultatibus liberari velit anima, vna via est, nimirum vt eousque excrescat, vt supra spinas sit, earumque aculeos piâ quadam generositate despiciat. Comparationem istam, quâ Rex me adeò honestauerat, ego alterâ ad rem appositissimâ comparatione excepi: SICVT MALVS, dicebam, frondibus foliisque venusta, nec minùs fecunda fructibus, INTER LIGNA SILVARVM sterilia excellit, SIC DILECTVS MEVS INTER FILIOS est. Præbent quidem infrugiferæ arbores vmbram, opportunum fessis viatoribus diuerticulum; nihil tamen aut sedandæ fami, aut viribus restaurandis prosunt. Id est: licet in viâ mandatorum & directionis diuinæ ambulantes nonnumquam ad breue tempus in rebus exterioribus oblectare se possint, neque etiam in eo sanctorum hominum exempla desint; certum tamen est, nullum ex illis spiritui robur acquiri: quin & feræ non rarò in vmbris densioribus delitescunt, quæ quasi tali astu æstuantes ac minùs prouidos viatores magis in nassam tra-

here videntur. Itaque sæpè vsuuenit, vt vbi maior oblectatio speratur, ibi plus etiam periculi sit. Sed Dilectus meus nihilominùs habet, quo mentes recreet & oblectet, atque simul in bono roboret & confirmet: vt meritò illis arboribus comparari possit, quæ præter vmbram etiam alimentum suppeditant. Experta dico, nam & SVB VMBRA ILLIVS QVEM DESIDERAVERAM, SEDI, ET FRVCTVS EIVS fuit DVLCIS GVTTVRI MEO: itaque & quiete sub vmbrâ lassitudinem, & fructibus sedaui famem, & vtroque nouum ad alacriter progrediendum robur acquisiui. Ne verò quispiam putet sine potu illam refectionem fuisse; non cyatho aut poculo me inuitauit, nec ex vno aut altero tantùm vase mihi propinauit vina, sed ipse INTRODVXIT ME IN CELLAM VINARIAM, in quâ & varia eaque generosissima vinorum genera reperiebantur: & quasi eligendi mihi potestate factâ, vnumquodque ad copiam & saturitatem haurire concessit, ita vt colligerem sanctam illam ebrietatem, quâ anima mysticâ quadam theologiâ illustrata, in amorem summi Numinis inflammatur, & simul variis suauissimisque affectibus, quasi diuersis vini suauitatibus, perfunditur; cuius experientiam habebat ille, qui exclamabat:
Psal. 30. v. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Do-*
mine,

mine, quam abſcondiſti timentibus te! At in vino ſimul etiam cum ſapore calor inardeſcit, qui amorem accendit: ille autem, vt hac in re magnus ſit, nimius tamen eſſe non poteſt; itaque ipſe ORDINAVIT IN ME CHARITATEM; vt vnumquodq; quod amandum mihi obueniret, eâ menſurâ eoq́; ordine diligerem, vt tamen rectæ rationis dictamen in nullo excederem. Atqui modus hic, vt iuſtus ſit quoad Deum reſpicit, modum omnem excedere debet: neque vnquam tantus iſte poteſt eſſe æſtus, vt dici poſſit, Iam ſatis eſt, iam amatur obiectum iſtud quantum promeretur. Hauſi itaque vinum adeò vbertim, vt vltrà ipſa me non ferrem, ſed opem auxiliumq́ue ſodalium mearum neceſſe habuerim inuocare: FVLCITE, inquiebam, ME FLORIBVS, STIPATE ME MALIS: QVIA AMORE LANGVEO. Neſcitis fortè, quantum de lapſu periculum ſit, vbi primùm cæleſtis flammæ æſtu anima afflatur: etenim vt illi, qui viam ſalutis ac perfectionis ingredi incipiunt, medium ſeruent in omnibus, vt vera virtus exigit, optari id quidem poteſt, non poteſt ſperari. Verum quidem eſt, illum eſſe Dilectum meum, vt nimiùm amari non poſſit: at opera illa, quæ ex amore prouenientia corporeis organis indigent, eaq́ue fatigant, diſcretionis moderamine indigent. Fulcien-

dæ

dæ ergo ſunt teneriores mentes floribus, ſtipandæ malis: floribus quidem, dum res ab aliis Sanctis geſtæ commemorantur, & ad earum normam vitæ ratio inſtituitur; illæ enim, vt ego iam inceperam, multò magis ſeriò contenderant, vt eſſent flores campi, & lilia conuallium: ſtipandæ autem etiam malis ſunt, id eſt exemplo & documentis ab ipſo Sponſo meo acceptis: quippe ad diuinę perfectionis imitationem, quantum homini in hac vitâ fas eſt, & doctrinæ diuinitus inſpiratæ normam, animæ componendæ ſunt. Illis ergo auxiliis fulciuntur ſtipanturque animę, dum ſanctis colloquiis illarum rerum crebra & ferè aſſidua mentio fit, ex eiſque oblectationes mentibus piis captantur. Enimuerò vt
1. Cor. 15. v. 33. corrumpunt bonos mores colloquia praua, ita ſanctæ de piis rebus collocutiones mentem erigunt, & ad alta educunt, & à lapſu præmuniunt. Nec diſſimulauit meum hoc periculum Amator meus, vtputa cuius cura ac diligentia ſemper pro ſalute & incolumitate ſuorum excubias ducit. Quapropter ſtatim LÆVA EIVS SVB CAPITE MEO fuit: nâne proſperis nimiumque ex animi ſententiâ fluétibus rebus diffunderer, aduerſa quędam, quæ ab eius læuâ prouenire videntur, immiſit. Fuit itaque læua illa ſub capite, non ſupra caput: erigebant enim me, & ſuſtentabant,

bant, non deprimebant aduerſa illa. Ne tamen nimia illa plus ęquo fatigarent, proſpera etiam aliqua admiſcebat in pignus & teſſeram boni illius, quod me in futurâ vitâ manębat: quapropter non tam de præſentibus gaudens, quàm in futurarum ſpem erecta, Benè mecum agitur, dicebam, eſto, tangat iam me interdum læua, certè DEXTERA ILLIVS AMPLEXABITVR ME: neque enim hîc me in afflictionibus deſerit; quin & bona, quæ confert, longè præclarius æternæ beatitatis præmium polliceri videntur. In tali conſideratione, quâ & triſtia & læta de manu Sponſi recipiebam, ſummæ mihi animæ pax & requies nata eſt; neque enim quidquam mentem magis componit, quàm in omnibus ad Primam Cauſam reſpicere, cuius potentiâ, vt omnia condita ſunt, ita ſuaui diſpoſitione eadem gubernantur. Tranquillitatem ergo hanc, quâ quodāmodò in brachiis Dei dormitabam, vetabat ipſe à quoquam interrumpi: quare ad ſodales meas, ADIVRO VOS, dicebat, FILIÆ IERVSALEM, PER CAPREAS CERVOSQVE CAMPORVM, id eſt, per omnia illa quæ à cæleſtibus expectatis auxilia, perque ea ipſa, ſi quæ in vobis ſunt, virtutum aut initia aut deſideria, quæ ego vobis vel maximè curæ eſſe optem, vt chariſmata meliora imitantes etiam ipſæ incrementa

crementa virtutum capiatis: quod ſi minùs ſtudioſè agitis, ſaltem id cauete, NE SVSCITETIS, NEQVE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM, QVOADVSQVE IPSA VELIT. Itaq; ſuauiter ac beatè quieſcebam, ac deliciabar, & mihi ipſi gratulans, Hæc eſt, dicebam, VOX DILECTI MEI, totum hoc illius benignitati debeo: planè Deus nobis hæc otia fecit, qui optimam partem, quam ipſo au-ctore elegi, non permittit à me vllius importunitate auferri. Non mirum itaque ſi grata mihi hęc ſit requies, non tam ſui æſtimatione, quàm quòd à tali manu mihi proueniret. Diſceſſiſſe interim à me Dilectus videbatur, ſed ad breue tempus, eâque mente vt confeſtim ad me reuerteretur: quod & prę-ſtitit, vt ferè citiùs redire illum aduerterem, quàm deprehenderam receſſiſſe. Ecce, dicebam iterùm, ISTE VENIT SALIENS IN MONTIBVS, TRANSILIENS COLLES, omnia obſtacula ſuperans, neque quidquam obicis, quod ipſum à me ſeparet, reſpiciens: is enim eius in me amor eſt, vt nihil, quò minùs mecū coniungatur, eum poſſit impedire. Quòd ſi aliquando nonnihil morę facere videtur, id omne ſtatim poſteà inſigni celeritate curſus, & munerum liberalitate compenſat. Iam verò, vt conſuetâ eum ad me feſtinatione properantem cognoui, Ecce, dicebam,

bam, SIMILIS EST DILECTVS MEVS CAPREÆ, HINNVLOQVE CERVORVM. quippe, vt anteà, dum inter adoleſcentulas verſabar, animalia illa ad nutum & minimam vocem mihi præſentia habebam: ita nunc ipſe Rex pari facilitate ad minimam inuocationem ad me feſtinat. Quin & cùm abſens eſſe videtur, omnino certa ſum, eum mei curam neutiquam deponere. Quæ cauſſa eſt, quòd illo temporis hoc modo mecum loqui conſueuerim: EN IPSE STAT POST PARIETEM NOSTRVM RESPICIENS PER FENESTRAS, PROSPICIENS PER CANCELLOS: ſiue ne peccandi impunitatem quaſi ipſum latens auſim ſperare; ſiue ne metuam, operam meam, dum ipſi ſeruio, ſine remuneratione futuram; ſiue denique vt certa ſim, nihil mihi aduerſi ipſo inſcio & inuito poſſe obuenire; quippe ſine cuius permiſſu ne quidem capillus capitis mei poſſit interire.

NOTÆ.

EGO FLOS CAMPI, ET LILIVM CONVALLIVM.] *Multi hæc ad Sponſum referunt. Non deſunt tamen, qui nobiſcum ſentiant: & quidem Chaldæus Paraphraſtes hæc Eccleſiæ tribuit. Sequitur etiam Philo Carpathius in eamdem, quam nos poſuimus, ſententiam. Ita enim habet:* Tamquam iam grata facta & accepta Sponſo, dum in illius verſatur amplexu, & cultu mandatorum, ſeipſam florem campi appel-

appellat; poſtque prophetica vaticinia meditata
Iſai. 35. v. 1. audit Iſaiam dicentem, Lætare deſerta arida, exultet deſerta & floreat, vt lilium, & efflorebit deſerta antiqua. *Vult ergo hic, animam anteà incultam & aridam, ex meditatione in floridam mutatam: at iſti flores ex ipſâ procul dubio meditatione prouenerunt.*

De lilio hoc S. Gregorius Nyſſenus Hom. 4. egregiè more ſuo: Ex concauo in altum ſurgens emergit germen, ſicut licet videre in lilio; cùm enim in rectum aliquamdiu excreuit herba lilij inſtar arundinis, in ſummitate florem edit, non parum à terrâ diſtantem, quantum ſatis eſſe videtur ad hoc, vt maneat pura in ſublimi pulchritudo, non inquinata miſtione cum terrâ. *Agnoſce generoſos in ſanctâ humilitate ſpiritus, non loci depreſſionem, ſed culpæ ex terrenis ſordibus maculam formidantes.*

SICVT LILIVM INTER SPINAS, SIC AMICA MEA INTER FILIAS.] *Origines Homiliâ in Cant. ex duabus poſteriore, hæc ad Sponſæ excellentiam refert, ita enim habet:* Sicut lilium non poteſt ſpinis comparari, inter quas ſemper exoritur, eodem modo Proxima mea ſuper omnes filias liliũ eſt in medio ſpinarum. *Homiliâ tamẽ tertiâ, idem ſpinas has cogitationes & ſolicitudines ſæculares intelligi poſſe notat, quæ ſanctas cogitationes virtuteſque opprimunt, niſi illæ vt lilia ſuper ſpinas illas excreſcant. Et ſanè eò altitudinis lilium non aſcendit, vt ſupra omnes ſit: id enim dicere in noſtrâ re non licet, niſi velimus in Stoicorum impaſſibilitatem incidere. Ita etiam ſentit S. Bernardus Serm.* 48. Donec in carne eſt anima, inter ſpinas profectò verſatur. *** Videat, quàm vigilem ſolicitamque eſſe oporteat ſuper cuſtodiâ ſui ſeptam vndique ſpinis, hinc inde aculeos intendentibus;

dentibus; nec enim vel leuissimam sustinet spinæ punctionem floris teneritudo, sed mox vt modicè premitur, perforatur. * * * * * Benè pungeris, si compungeris. Multi cùm sentiunt pœnam, corrigunt culpam; & talis dicere potest, Conuersus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina. *Quòd si compunctionem illam pro culpâ accipias, aut certè pro tentationibus quæ ad culpam prouocant, de similibus ille ita loquitur:* Plenus est mundus spinis, in terrâ sunt, in aëre sunt, in carne tuâ sunt; versari in his, & minimè lædi, diuinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. *Ne tamen hîc quis pusillanimitate victus animum despondeat, posteà addit:* Considera lilia agri, quomodo inter spinas vigent & nitent: si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic custodit, quantò magis Amicam & Sponsam suam charissimam? *Et hæc quidem de spinis paulò longiùs quàm pro instituto. Videri etiam potest S. Thomas in hunc locum.*

Rabbinus apud Hebræos innominatus, quem Gilbertus Genebrardus Latinum fecit, raritatem huius generis liliorum tradit his verbis: Dilectus Dilectam affatur. Ne compares te lilio camporum, & rosæ conuallium, quæ simul magno numero illic pariuntur; sed tu consimilis es rosæ, quæ inter spinas gignitur, quæ singularis est, nec habet parem pulchritudine & formâ. *R. Abben Ezra spinas pro munimento floris esse vult.* Non, *inquit*, compararis flori vallis, qui facilè decerpi potest, sed rosæ, quæ inter spinas est.

SICVT MALVS INTER LIGNA SILVARVM, SIC DILECTVS MEVS INTER FILIOS.] *S. Gregorius Papa:* Ligna siluestria esui hominum habiles fructus

non gignunt. Malus verò quod gignit, congruè & ſalubriter homines edunt. Meritò ergo per malum Chriſtus, per ſilueſtria verò ligna ceteri homines figurantur, quia in ſolo Chriſto cibum ſalutis, quoties quærimus, inuenimus.

S. Gregorius Nyſſenus Hom. 4. vult in hac comparatione Dilectum non tantùm lignis ſterilibus ſiluarum, ſed & ipſi ſponſæ prælatum fuiſſe; cùm flores non ita ſint guſtui oblectando, quàm poma, quæ ſimul & coloris pulchritudinem, & odoris fragrantiam, & dulcedinis ſuauitatem habent. Similia etiam Pſellus, & alij hîc notarunt.

Rupertus Abbas de lignis ſiluarum etiam peiùs ſentit; ait enim de illis: Non tantùm non faciunt fructum bonum, verùm etiam faciunt fructum malum; ſuntque cubilia leonum, & habitacula draconum, omniumque latibula ferarum, id eſt ſpirituum malignorum. Profectò excidentur, & in ignem mittentur. Dilectus autem meus, qualem, quàm bonum inter eos fecit fructum? vtique fructum vitæ æternæ: quia non vtcumque bona arbor ipſe, ſed lignum vitæ eſt.

R. Salomon: Arbor pomifera cùm eſt inter arbores ſteriles, ceteris omnibus eſt gratior; fructus enim eius & guſtu & odore ſuauis eſt: talis eſt Dilectus meus inter filios, inter iuuenes. Allegoria ſic habet: Deus Opt. Max. ſupra cunctos deos eximius eſt, proinde vmbram eius expetiui, in eaque conſedi. In Midras Agadâ: Ab hac malo omnes refugiunt, quòd vix faciat vmbram: ſimiliter reliqui omnes populi à Deo, in legis ſuæ promulgatione, aufugerunt: ego verò ſummo deſiderio in vmbrâ eius ſedi.

SVB

SVB VMBRA ILLIVS QVEM DESIDERAVERAM, SEDI: ET FRVCTVS EIVS DVLCIS GVTTVRI MEO.] *S. Bernardus Serm.* 48. Meritò eius desiderauerat vmbram, de quo & refrigerium esse & refectionem pariter acceptura. Nam cetera quidem ligna siluarum etsi vmbram solatij habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis.

Hugo Cardinalis Carrensis etiam hic notauit vmbræ refrigerium, sessionis quietem, & fructus suauitatem, & multa posteà ac egregia documenta habet de singulis eorum, sed longiùs quàm pro instituto nostro. Sed & Venerabilis Beda, cùm eo modo quo nos hunc locum exposuisset, acutè deinde respicit ad ea quæ de tignis cedrinis & laquearibus cypressinis dicta erant; atque, de illarum arborum vmbris nihil simile posse expectari illi, quod de hac arbore vitæ habetur.

INTRODVXIT ME IN CELLAM VINARIAM.] *Ex vino hoc in die Pentecostes contraxerunt Apostoli ebrietatem, teste S. Bernardo Serm.* 49. *Rickelius art.* 7. *vult, eam quam recepto iam vocabulo mysticam Theologiam dicimus, enatam esse in hac cellâ vinariâ.*

Honorius Augustodunensis ita habet: Sponsus à Sponsâ (*cur non potiùs à Sponso sponsa:*) in cellam vinariam introducitur, dum quis Christo trahente claustrum ingreditur, in quo vinum, quod lætificat cor hominis, bibit, cùm de Scripturis promissa lętitiæ hauriat. In hoc charitas ordinatur, dum inprimis Deus, deinde Prælatus, deinde. Priores, deinde alij Fratres pro meritis ab eo amantur. *Vide ibid. plura, inde vt etiam apud Hugonem Cardinalem.*

Priusquam vlteriùs progrediar, operæ pretium puto audire S. Bernardum Sermone isto 49. *inuitantem Religiosos suos in hæc cellaria.* Et tu quoque, *inquit,*

quit, si collecto tuo spiritu, mente sobriâ & vacuâ curis, orationis domum solus introeas, & stans coram Deo ad vnũ aliquod de altaribus cæli ianuam tangas sancti desiderij manu, & præsentatus choris Sanctorum tuâ penetrante deuotione (siquidem oratio iusti penetrat cælos) in ipsorum præsentiâ miserandus deplores miserias, & calamitates quas pateris, crebris suspirijs & gemitibus inenarrabilibus prodas necessitatem, flagites pietatem; si, inquam, hoc egeris, confido in eo qui dixit, Petite & accipietis, quia si perseueraueris pulsans, non exibis vacuus. Verùm cùm te nobis reddideris plenum gratiâ & charitate, nec poteris spiritu feruens dissimulare munus acceptum, quod sine inuidiâ communicabis, erisque omnibus in gratiam quæ data est tibi, non modò gratus, sed fortasse etiam admirandus: poteris & ipse veraciter protestari, quia introduxit me Rex in cellam vinariam: tantùm cautus esto, non in te, sed in Domino gloriari.

ORDINAVIT IN ME CHARITATEM.] *Non est cur laboremus in expositione nostrâ hîc astruendâ. Cũ tamen Origenes Hom. 3. in Cant. verè dicat*: Omnes homines amant sine dubio aliquid, & nullus est qui ad id ætatis venerit, vt amare iam possit, & non aliquid amet; *& S. August. lib. 15. de Ciu. Dei c. 22. definitionem virtutis esse dicat, vt sit ordo amoris, vbi etiam hunc Cantici locum adducit; non abs re fuerit de ordinandâ charitate aliquid breuiter ex sanctis Doctoribus attexere. Videri autem poterunt, Origenes loco iam adducto, & Homiliâ, quæ ex 2. in Cant. cantic. posterior est; S. Iustus Orgel. hîc. Aponius l. 3. in Cant. S. Greg. Nyss. Hom. 4. Rikelius in hunc locum, & alij.*

Opusculum illud, quod inter S. Augustini Ope-

ra

ra circumfecta Tomo quarto, de ſubſtantiâ dilectionis non inuenuſtè ita diſtinguit: Tria, *inquit*, ſunt, quæ benè aut malè à nobis amari poſſunt, Deus, Proximus, Mundus, Deus ſupra nos eſt, Proximus iuxta nos eſt, Mundus ſubter nos eſt. *Inde ita diſponit, vt tria Deus habeat, duo Proximus, vnum Mundus; vt nimirum amor ſit de Deo, & cum Deo, & in Deum: de Proximo, & cum Proximo, ſed non in Proximum: de Mundo autem ſit, non cum Mundo, neque in Mundum. Singula inibi latiùs explicat. De Deo amorem eſſe dicit, quando quis ex ipſo occaſionem accipit ipſum amandi; cum Deo, cùm amor ipſe hominē Deo coniungit; in Deum, cùm Deum finem terminumq; amoris ſtatuit. Ex quo facilè intelligitur, quomodo circa reliqua duo etiam ſit explicādus.*

De charitate ordinandâ agit & S. Auguſtinus lib. 7. de Verbis Domini, & Origenes Hom. 3. in Cant. S. Bern. Serm. 49. in Cant. ibi & multa & pulchra circa hanc rem. Argutum eſt, quod idem habet Serm. 50. vbi ingenioſè oſtendit, illud, quò affectus meritò plurimùm fertur, in ipſo opere ſæpè aliis poſtponi debere. Verba eius hæc ſunt: In benè affectâ mente non dubium, quin, verbi cauſſâ, dilectioni hominis dilectio Dei præponatur; & in hominibus perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima corpori. Attamen in benè ordinatâ actione ſæpè, aut etiam ſemper, oppoſitus ordo inuenitur. Nam circa proximi curā & plus vrgemur, & pluries occupamur, & infirmioribus fratribus diligentiori ſedulitate aſſiſtimus. *nec multò pòſt:* Orantē hominē loqui cum Deo quis dubitet? Quoties tamē inde iubente charitate abducimur & auellimur propter eos qui noſtrâ indigent operâ vel loquelâ?

Quoties piè cedit negotiorum tumultibus pia quies? Quoties bonâ conſcientiâ ponitur codex, vt operi manuum inſudetur? Quoties pro adminiſtrandis terrenis, iuſtiſſimè ipſi ſuperſedemus celebrandis Miſſarum ſolemniis? Ordo præpoſterus, ſed neceſſitas non habet legem. Agit ergo ſuum charitas actualis ordinem iuxta Patrisfamilias iuſſionem, incipiens à nouiſſimis.

FVLCITE ME FLORIBVS.] *Floribus ſanctorum hominum exempla intelligunt ferè omnes, qui nobiſcum legunt: nam ſeptuaginta Interpretes pro floribus vnguenta ſubſtituunt; quos qui ſequuntur, ad gratiam ſancti Spiritus hæc referunt. Flores porrò varios, quibus fulciatur ſancta anima, enumerat S. Gregorius Hom. 6. in Ezechielem egregiè, ſuumque ſingulis Sanctorum attribuit. Sanctos homines eorumque bona exempla florum nomine hîc etiam explicant S. Thomas & S. Iuſtus Orgelitanus, & alij in hunc locum.*

STIPATE ME MALIS.] *Malis exempla Sponſi ſignari docuit Origenes Homiliâ poſteriori ex duabus.* Stipate, *inquit*, me malis. quibus malis? vt malus inter ligna ſiluarum, ſic Dilectus meus in medio filiorum. *Simili etiam modo accipit hæc Theodoretus, vt & tres apud eum Patres.*

QVIA AMORE LANGVEO.] *Hugo Cardinalis hunc languorem pulchrè deſcribit.* Eſt, *inquit*, triplex languor amoris in Sponſâ: languet enim vilitate, timens ne propter vilitatem peccatorum ſuorum ſponſus ab eâ receſſerit. Languet anxietate, timens ne propter virtutum inopiam Sponſus redire nolit. Languet inſtabilitate, timens ne feruor ſuus tepeſcat propter tædium. Et contra hunc triplicem languorem quærit Sponſa triplex remedium. Con-

tra primum, florum amœnitatem, dicens: Fulcite me floribus. Contra secundum, fructuum vbertatem, dicens: Stipate me malis. Contra tertium, læuam Sponsi sub capite, ad sustentationem; & dexteram in amplexu, ad delectationem: vnde subdit: Læua eius, *&c.*

S. Augustinus in Psalm. 37. *hunc locum paullò aliter explicat:* Vulneratum se dixit charitate: (*vbi nos legimus,* Quia amore langueo, *ibi ille,* Vulnerata sum charitate.) amabat enim quiddam, & nondum tenebat; dolebat, quia nondum habebat; ergo, si dolebat, vulnerata erat; sed hoc vulnus ad veram salutem rapiebat. Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram salutem non poterit peruenire.

LÆVA EIVS SVB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIVS AMPLEXABITVR ME.] *Aponius lib. 3. in Cant: allegorico sensu hæc de Martyribus accipit, cui sanè optimè aut martyria, aut quæuis difficultates in sensu tropologico respondent, quarum ipse etiam mentionem facit; sed tribulationem in dexterâ constituit, quasi ad remedium, ne anima in prosperis versus illam partem nimiùm inclinet.*

S. Augustinus in Psal. 143. *Sponsam hoc loco ita loquentem introducit:* Non me deseret (*Sponsus*) in temporalibus necessariis; sed tamen ipsa sinistra sub capite erit: non capiti præponetur, sed sub capite erit; vt dextra eius complectatur me, pollicens vitam æternam. Ita enim sinistra sub capite, si dextra super caput: impleturque illud, quod ad Timotheum scriptum est, Promissionem habens vitæ præsentis & futuræ. *Accusat porrò ibidem S. Au-* 1.Tim.4.
gustinus pluribus illos, qui sinistram dextræ præpo- v.8.
nunt, id est temporalia æternis; de quibus illud Psal-

mista exponit, Dextera eorum dextera iniquitatis. *Videri potest idem in Psalm.* 120. *S. Bernardus Serm.* 51. *Theodoretus, Hugo Carrensis, lauam supplicij comminationem, dextram Regni promissionem explicant: quæ sententia non procul a nostrâ recedit. S.Gregorius Papa, Philo Carpathius, Honorius, S.Iustus Orgelitanus, & S.Thomas hic, per lauam exponunt præsentem felicitatem, per dextram verò futuram: vt & S.Augustinus iam allatus: omnes autem quasi vno ore huic applicant illud Prouerbiorum,*

Prou. 3. v. 13. v. 16. Beatus homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentiâ * * longitudo dierum in dexterâ eius, & in sinistrâ illius diuitiæ & gloria. *aut, vt ipse legit*: In dexterâ eius anni vitæ, in sinistrâ eius diuitiæ & honor.

ADIVRO VOS FILIÆ IERVSALEM, PER CAPREAS CERVOSQVE CAMPORVM, NE SVSCITETIS, NEQVE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM, QVOADVSQVE IPSA VELIT.] *Solicitudinem Sponsi agnoscit hic miraturque S. Bernardus Serm.* 52. *quippe qui ostendit summoperè sibi curæ cordique esse, vt anima pia cum ipso & in ipso delicietur, qui etiam ipse capreas ceruosque camporum, vt nos, explicat, vt significent ciues cæli Angelos, eosque quos in cælum merita vocauerunt. Simili modo accipit hunc locum S. Gregorius Nyssenus Hom.* 4. *licet ipse legat* per potentias & fortitudines agri, *quemadmodum septuaginta Interpretes hunc locum transtulerunt.*

S. Gregorius Papa, Anselmus, & alij, volunt capreas ceruosque camporum significare aut virtutes, aut saltem initia virtutum, & bona proposita.

Theodoretus, vbi nos legimus, ne suscitetis, neve euigilare faciatis, *&c. legit in contrario sensu*, vt susci-

ſuſcitetis, & excitetis charitatem. *putatque extimulari filias Ieruſalem ad imitandum diligentiam Sponſæ, & ipſius exemplo excitandum in ſe ipſis amorem diuinum.*

VOX DILECTI MEI.] *S. Gregorius Magnus hæc Sponſæ verba reddit paraphraſticè in hunc modum:* Hanc vocem Dilecti mei Sponſi eſſe cognoſco, hanc ab eius ore audire ſemper deſidero, quia in hoc video, quãtum me diligat, cùm me ab amplexibus ſuis deſiderabilibus prohibeat impediri. *In eumdem ſenſum S. Bernardus, S. Thomas, Dionyſius Carthuſianus.*

Hugo Cardinalis ita loquitur: Audiens Sponſa adiurationem Sponſi, videnſque hanc determinationem appoſitam, Donec ipſa velit, aduertit latenter ſibi præcipi, vt ipſa ſponte ſurgat. *Pari modo huc ſpectare poteſt id quod addit,* Vox Dilecti mei, *quaſi excitantis ſe. Ex hoc loco arguit Theodoretus, eam meritò inter oues illas numerari, quæ vocem boni paſtoris agnoſcunt, & quid inter eam, & mercenarios ac fures interſit, intelligunt.*

ECCE IPSE VENIT SALIENS IN MONTIBVS, TRANSILIENS COLLES.] *Multi hic in montibus & collibus explicãdis inhærent: ſed, quod nobiſcum facit, clariſſimè Rikelius,* Cum tantâ, *inquit*, celeritate ac feſtinantiâ venit ad me, vt magis ſalire quàm pergere videatur: & tam familiariter adiungit ſe mihi, quaſi mihi ſoli velit vniri, cohærere, & loqui.

SIMILIS EST DILECTVS MEVS CAPREÆ, HINNVLOQVE CERVORVM.] *Caprea, quòd viſu acutiſſimo ſit inſtructa, δορκάδα Græci vocant,* ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, *quod eſt* videre. *In ceruo illam communiter naturam*

notant, quòd ſerpentes enecet, hinc multi huius loci interpretes expoſitionẽ ſuam deſumunt, quibus omnibus ſtrauiſſe viam videtur Origenes Homilia ex duabus poſteriori, vbi ita loquitur: Ab eo quòd acutiùs videat [caprea] dorcas appellata eſt, ceruus verò ſerpentum inimicus ac debellator eſt. * * * Forſitan Saluator meus caprea ſit iuxta θεωρίαν, ceruus iuxta opera. *Idem Hom. ex quatuor tertiâ rationem reddit, cur caprea ceruo præponatur; quia nimirum in nobis etiam Fides, quæ in cognitione & aſſenſu veritatis conſiſtit, primus ſalutis gradus eſt; cui poſteà aduenit ſancta operatio, omnes diabolicas machinationes, quibus venenatus ſerpens animas interficere nititur, ſuperans. Ex duabus iſtis illarum animantium proprietatibus alias etiam huius loci expoſitiones adferunt Doctores. Videri poſſunt S. Bernardus Serm. 55. Theodoretus, Philo Carpathius, S. Iuſtus Orgelitanus hîc, Nyſſenus Hom. 5. qui alludit hîc ad nomen Dei & capreæ, quod ille ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, hæc ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, quod vtrumque* videre *ſignificat, deſumuntur.*

Poſſumus hîc etiam noſtram explicationem roborare, quòd Sponſus oculis acutiſſimi viſus Sponſam obſeruet, celeriter in neceſſitatibus accurrat, aduentu ſuo omnia mala tollat. Claudam hæc cum Aponij obſeruatione, quam tamen ipſe inferiùs ponit ad illa verba, Reuertere, ſimilis eſto, *&c. Notat ergo ibi, caprearum naturam eſſe, vt voce emiſſâ, & ante ſe in montibus reſonante, dum quempiam ſibi obuiàm opinantur occurrere, ad locum, vnde receſſerant, velociore curſu reuertantur. Ita nimirum vix abſuerat Sponſus, cùm redire intelligitur.*

EN IPSE STAT POST PARIETEM NOSTRVM, RE-

RESPICIENS PER FENESTRAS, PROSPICIENS PER CANCELLOS.] *Ad illum ſenſum, quem nos poſuimus, alludit S. Bernardus Serm. 55. ſub finem.* Vereor, *inquit*, aſpectum exploratoris illius, qui poſt parietem ſtat: hoc enim addit de illo, quem pro acumine viſus capreæ aſſimilauit. En ipſe ſtat, inquit, poſt parietem, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Sponſa nihil veretur, quia nihil ſibi conſcias eſt. Quid enim vereatur Amica, Columba, Formoſa? *Ex recentioribus pius & doctus auctor Franciſcus Titelmannus prolixè hanc expoſitionem proſequitur. Anſelmus verò, congruè illi quod nos attulimus, notauit, illum in ſolatium & auxilium operæ & laborum præſtò eſſe.*

SECTIO IX.

Sulamitis in hoc gradu deſcribitur per obiecta quinque ſenſuum.

TEXTVS, *ex cap. 2. verſ.* 10. 11. 12. 13.

10 EN Dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, Amica mea,
columba mea, formoſa mea, & veni.
11 Iam enim hiems tranſijt, imber abiit,
& receſſit. 12 Flores apparuerunt in terrâ noſtrâ, tempus putationis aduenit:
vox turturis audita eſt in terrâ noſtrâ:
13 ficus protulit groſſos ſuos: vineæ
florentes dederunt odorem ſuum.

PARAPHRASIS.

HÆC agens, aduerti Dilectú meum quaſi ſeriò mihi parantem loqui. Quare omnia alia miſſa faciens, ad pedes eius conſedi,& hoc pacto mecum ipſa cogitare cœpi: EN DILECTVS MEVS LOQVITVR MIHI. Sileant ad vocem eius omnes res creatæ, nihilq́ue ſit, quod iſtud noſtrum colloquium, aut ipſius ſermonem impediat. Quin & mihi ipſi accuratiſſimè cauendum, ne inertiâ aut ſocordiâ meâ tempus viſitationis meæ in vanum mihi abeat. Numquam ſanè fruſtrà mihi loquetur, qui verba vitæ æternæ habet. Poſt hanc ergo animi mei præparationem Sponſum meum ita loquentem accepi, SVRGE, age Sulamitis mea, nec aſſiduè te tantùm deſidioſæ auſcultationi, ſed & operi accinge: neque enim virtutis ſumma tam in conceptu cogitationum, quàm in operationum praxi conſiſtit. PROPERA: nunc enim tempus eſt acceptabile: & dilatio paratis noxia ſemper eſſe conſueuit, neque procraſtinando vmquam quiſquam magnus factus eſt. Quare quodcumque poteſt manus tua, inſtanter operare, docta omne id temporis, quod ſine fructu eſt, cum damno eſſe. Quid eſt ergo quòd moreris AMICA MEA, nihilo minùs quàm amans

amata:

amata: COLVMBA MEA, & cordis munditie & intentionis rectitudine mihi periucunda: FORMOSA MEA, cuius virtutis ſtudium vera virtus eſt, adeò vt hoc ipſo, quòd te mihi ornare contendis, ornata videaris. Ita philoſophia, id eſt amor ſapientiæ, vera ſapientia habetur. ET VENI, indies magis te magisque amicam & beneuolam reddens: neque enim eſt cur tibi perſuadeas, iam te ad ſummum perueniſſe. Fateor, non exiguum hactenus profectum feciſti; at ne fallaris, à ſummo adhuc plurimum abes. IAM quidem HIEMS TRANSIIT, IMBER ABIIT, ET RECESSIT: mortiferi enim peccati gelu & tremendum frigus in te iam locum non habent: necdum tamē ęſtiuus feruor, aut ſolarium ſplendor radiorum emicat. Neque enim voluntate adhuc, vt Sancti ſolent, inflammata es, nec illuminata intellectu. Eſto, ſit in te nonnumquam dies ſerenior, &, vt in primo vere non rarò ſolet, calidior; æſtatem tamen, in quâ æſtus continuus ſit, adhuc deſidero. Inſuper & FLORES non inueniſti bonorum deſideriorum APPARVERVNT IN TERRA NOSTRA, ſed illi rari ſunt, & ad hortuli tantùm decus, ſine cuius dehoneſtamento nulli colligi aut decerpi poſſunt: & tamen TEMPVS PVTATIONIS ADVENIT, vt aliò etiam ex illis quidam meritò petantur trans-

transferendi. Laudo elegantiam piorum affectuum in oratione: at requiro in toto diei decursu earumdem frequentiam, quæ in modum orationum iaculatoriarum radios ad me suos emittere non cessent. Id tu faciliùs feliciúsque præstabis, si ager animi tui optimarum frugum ferax ab inutilibus superfluisque occupatiunculis, quæ adinstar liliorum terram frustrà occupant, repurgetur. Præterea VOX TVRTVRIS AVDITA EST IN TERRA NOSTRA, non ingrato quidem gemitu dulciter querula, sed tamen querula; iucundiùs certè lusciniæ & similium auicularum cantus auribus meis insonaret. Fers tu quidem iugum Domini, sed non sine suspiriis & querelis: hilarem ego datorem diligo, potiusque in amicis meis lætitiæ affectú, quàm timoris, mœstitiæ & pusillanimitatis amo; quippe in terrâ nostrâ, vbi mecum agitur, omnis verique gaudij fons est & scaturigo. Et numquid possunt filij Sponsi lugere, quamdiu cum illis est Sponsus? & quantò magis in ipsâ sponsâ luctus dedecet? Deinde FICVS, cuius fructus dulcissimi expectantur, PROTVLIT GROSSOS SVOS, aut immaturos, & proinde paullò adhuc acerbiores; aut præcoces, & propterea paucos. Obseruatur sanè in ficubus magna fructuum acceleratio, quæ aliarum arborum floribus solet respon-

Matth. 9. v. 15.

respondere: his opera tua, Sulamitis mea, significantur, in quibus vera perfectio reperitur, quique mihi fructus dulcissimi sunt; sed rari, neque ad satutitatem. Excita ergo te, Dilecta, operaque & plura, & his, quæ fers, etiam præstantiora noueris expectari. Denique VINEÆ FLORENTES DEDERVNT ODOREM SVVM, vt vinum pretiosum ac generosissimum inde aliquando possit expectari: at quod in spe adhuc est, iam ad vindemiam maturum esse debebat. Itaque, vt verbo concludã, negari non potest, quin omnibus meis sensibus voluptatem adferas mihi sanè periucundam; at plura melioraque his de te mihi & pridem promisi, & etiam nunc promitto. Persentiscit in te tactus calorem, seu potiùs teporem aliquem, non æstum; visus floribus, sed paucis oblectatur; auditu turturis gemitus, non auium suauiter modulantium cantus percipitur; gustus grossis refici, non ficubus potest saturari fames; odoratus odore & fragrantiâ vinearum reficitur, at quando tandem vuarum copia vinum nouum plenis torcularibus effundet? Saliuam planè ista mouent, non satisfaciunt appetitui. Quare, si me audis, Sulamitis, habitus virtutum diligentiùs acquires, desideria frequentiora profectus excitabis, iucundiùs in me te ipsam oblectabis, operaberis accuratiùs, ac contem-

templationi maiori quàm hactenus animi contentione insistes. Quæ omnia si ritè obseruaueris, ad vitæ spiritalis perfectionem faciliùs pertinges.

NOTÆ.

EN DILECTVS MEVS LOQVITVR MIHI.] *S. Bernardus præcedentia his componens, diligentiam solertiamque Sponsæ in momentis Sponsi obseruandis colligit Serm. 57.* Attendite, *inquit*, Sponsę deuotionem atque solertiam. Quàm vigili vbique oculo Sponsi obseruat aduentum, ipsius deinceps omnia intuetur? Venit ille, accelerat, appropiat, adest, respicit, alloquitur. *& mox:* Venit affectu & studio miserendi, accelerat subueniendi zelo, appropiat humiliando seipsum, adest præsentibus, prospicit in futuros, loquitur docens & suadens de regno Dei.

SVRGE, PROPERA, AMICA MEA, COLVMBA MEA, FORMOSA MEA, ET VENI.] *Venerabilis Beda:* Habet Sponsa Christi, Ecclesia videlicet, vel Anima quæque electa, tempus quiescendi, habet item tempus surgendi ad laborem. Denique vt suprà adiurabat filias Ierusalem, ne suscitarent, neque euigilare facerent eam, donec ipsa velit; & nunc mutatâ voce surgere eam iubet ipse, & ad se properanter venire. *Eamdem etiam vicissitudinem notauit S. Bernardus Serm. 58. addit tamen:* Non suscitatur, præterquam velit, quando fit priùs, vt velit: quod non est aliud, quàm sancti quastus immissa auiditas.

T*itulos*. Amica, Columba, Formosa, *varij Doctores*

ctores variè accipiunt. Videri possint Origenes Hom.4. Rupertus, Theodoretus, & alij hîc. S. Gregorius Magnus breuiter ita: Propter fidem Christus Sponsam suam Amicam vocat, Columbam propter simplicitatem, Formosam propter operationem. *& mox paullò fusiùs singulorum rationem reddit. S. Bernardus loco iam nominato*: Non parum confortat, quòd audit, Veni, & non, Vade: per hoc intelligens se non tam mitti quàm duci, & secum similiter Sponsum esse venturum. quid enim sibi difficile illo comite reputet? Pone, inquit, me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. item: Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. *Iob 17. v.3. Psal.22.*

IAM HIEMS TRANSIIT, IMBER ABIIT, ET RECESSIT.] *Post discussam hiemem hîc veris noui statum describi nemo ambigat. Origenes Hom. 4. docet ex hac descriptione occasionem sumptam fuisse, qua ad egrediendum inuitetur Sponsa.* Intellige, *inquit*, animæ hiemem, cùm adhuc passionum fluctibus iactatur, & vitiorum procellis & duris malignorum spirituum flatibus verberatur. In his positam non hortatur sermo Dei foras exire, sed intra semetipsam colligi, & vniri vndique atque contegi contra perniciosos malignorũ spirituum flatus. Nulli tunc in diuinis literis studiorum flores apud eam, nec profundioris sapientiæ secreta & recondita mysteria, quasi per vocem terris resonant, sed neque odoratus eius gratiæ aliquid, quasi ex vineæ floribus recipit; neque visus eius tamquam in ficulneæ germine delectatur: sed sufficit, vt in tempestatibus tentationum à lapsu peccati tuta & munita permaneat. Quòd si obtinuerit vt illæsa perduret, hiems

ei transiit, & venit ei ver. Ver namque ei est, cùm quies animo datur, tranquillitas menti. Tunc ad eam venit Verbum Dei, tunc eam vocat ad se, & hortatur, vt exeat non solùm extra domú, sed extra ciuitatem; id est, non solùm extra carnis vitia efficiatur, sed extra omne quod corporeum & visibile continetur in mundo. *Ita ille, cui alij consonant. Vide S. Ambrosium Serm. 6. in Psal. 118. & lib. de Instit. virg. cap. 1. S. Gregorium Nyssenum Hom. 5. S. Bernardum Sermon. 58. Philonem, Honorium, tres Patres apud Theodoretum, & alios.*

FLORES APPARVERVNT IN TERRA NOSTRA.] *Per flores intelligit Honorius initia bonorum operum. S. Gregorius lib. 12. Moral. c. 24. per flores intelligit bona proposita. Carthusianus flores vult esse illas virtutes, quæ in animo erumpunt: vbi etiam expendit quòd Sponsus vtatur voce* nostra: *ita enim ait*: Virtutum ornatus eruperunt in agro cordis tui, quæ est terra mea & tua, id est nostra: mea per creationem, dilectionem, & prædestinationem; tua per concessionem & possessionem.

TEMPVS PVTATIONIS ADVENIT.] *Multi putationem hîc putant esse studium purgandi agrum, & sarmenta aliaque inutilia tollendi: ita Origenes Hom. 4. Videatur inter alios Beda lib. 3. tamen S. Ambrosius lib. de Isaac & animâ cap. 4.* Tempus, *inquit*, secandi aduenit. vbi antè desertum fuit, ibi iam messis est. *Quod ille de fructuum collectione dicit, cur non etiam de floribus dici possit, præsertim cùm proximè præcedentia eorum meminerint?*

VOX TVRTVRIS AVDITA EST IN TERRA NOSTRA.] *De gemebundâ turturis voce hoc loco interpretes communiter. Beda ita*: Vox turturis, quæ humiliter

militer resonans gemitum pro cantu exprimit, congruit eis qui sui incolatus & promissæ sibi patriæ memores, dicere consueuerunt, Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes, & redemptionem corporis nostri. *S. Bernardus Serm. 59. egregiè ponderat, quòd Sponsus non tantùm terram nominet, sed terram nostram dicat; illamque vocem non principatum sonare, sed consortium & familiaritatem; eumque tamquam Sponsum, non tamquam Dominum loqui: cuius simile iam ex Carthusiano attulimus.*

FICVS PROTVLIT GROSSOS SVOS.] *De ficubus loco & tempore florum fructus proferente fusè S. Ambrosius lib. 7. in cap. 13. Lucæ. & idem libro de Isaac & animâ cap.* 4. Ficus (*inquit*) protulit grossos suos, quæ anteà vt infructuosa iubebatur excidi, hæc fructus ferre iam cœpit. Sed quid dubitas, quia grossos dixit? priores discutit, vt posteriores meliores ferat.

Philo Carpathius: Dulcis fructus arbor ficus est, atque suauis, per quam Ecclesia ac Sponsa designatur, cui Apostoli grossorum instar suauissimos sermones, & Euangelium IESV CHRISTI protulerunt.

Rikelius planè vt nos : Per arborem fici significatur hîc anima fructuosa, pietatis, charitatis, deuotionis suauitate referta; quæ statim, vt potuit, cœpit agere aliquid boni, & deuotioni insistere, quamuis exercitia eius essent adhuc imperfecta & immatura, facileque ex vento tentationis seu aduersitatis cuiusque labentia : propter quod designantur per grossos, qui sunt fructus primi, & immaturi, & leui vento cadentes.

VINEÆ FLORENTES DEDERVNT ODOREM

 SVVM.]

SVVM.] *Memorabile est quod de florente vineâ S. Bernardus refert Serm.* 60. Aiunt florentibus vineis omne venenatum reptile cedere loco, nec vllatenus nouorum ferre odorem florum. Quod volo attendant nouitij nostri, & fiducialiter agant, cogitantes qualem spiritum acceperint, cuius primitias dæmones non sustinent. Si sic nouitius feruor, quid erit absoluta perfectio? Perpendamus ex flore fructus, & saporis virtus ex vi æstimetur odoris. *Vide etiam Dionysium Carthusianum hîc.*

Hugo de S. Victore in Serm. de Assumpt. B. Virginis ex hoc loco tria elicit, tribus sensibus respondentia, vt flores ad speciem pertineant, odor ad fragrantiam, canticum ad iucunditatem. Species, *inquit*, ad visum, refertur, fragrantia ad olfactum, melos ad auditum. *Sed cur nõ eodem modo dicamus ficuum dulcedinem ad gustum? expectatur enim post grossos ficuum suauitas, vt iam ex Philone notaui: cuius etiã S. Bern. meminit Serm.* 60. *Quòd si hibernum frigus ad tactum transtuleris, omnes hominis sensus hîc de gradu profectus, in quo sponsa fuerit, tamquam de suo obiecto, vt in Scholis loquimur, iudicabunt.*

SECTIO X.

Sulamitis ad altiora vocatur, & modum proficiendi discit.

TEXTVS, *ex cap.* 2. *vers.* 13. 14. 15. 16. 17.

13 SVRGE, amica mea, speciosa mea, & veni: 14 columba mea in foraminibus petræ, in cauernâ maceriæ, ostende

ostende mihi faciem tuam, sonet vox
tua in auribus meis: vox enim tua dul-
cis,& facies tua decora. [15] Capite nobis
vulpes paruulas, quæ demoliuntur
vineas: nam vinea nostra floruit. [16] Di-
lectus meus mihi, & ego illi, qui pasci-
tur inter lilia, [17] aspiret dies,& inclinen-
tur vmbræ. Reuertere: similis esto, Di-
lecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorum
super montes Bether.

PARAPHRASIS.

PERGEBAT porrò in adhortatione suâ Dilectus meus, &, Repetam, dicebat, quod initio dixi: SVRGE age Sulamitis mea,& omni, si quæ adhuc in te est, socordiâ superatâ, nouâ diligentiâ nouo operi te para, AMICA MEA, SPECIOSA MEA, ET VENI, magisque mihi quàm anteà & nouo amicitiæ fœdere coniungere. Nam & tempus monet, & illa, quâ hactenus vsa es, diligentia suadet, vt paulatim ad altiora mentem adijcias:& eo, in quo hactenus fuisti, gradu, nempe concubinarum consortio, valere iusso, ad Reginarum statum ac dignitatem eueharis. Verùm quia illa res maiores etiam, quàm hactenus, spiritus re-

requirit, colligas te rursus opus est. COLVMBA MEA, vt tibi maiori cum curâ & attentione vaces IN FORAMINIBVS PETRÆ, IN CAVERNA MACERIÆ. vt ibi, quæque egi, quæque in tui gratiam perpeti volui (quę ex Propheticis oraculis, accedente sancti Spiritus luce, non obscurè intelliges) ruminans, tamquam firmum aliquod in eâ consideratione præsidium tibi excites, in quo tamquam in munitâ solitudine perfectioni tuæ incumbas, tibique ipsi, relictis aliis rebus, inuigiles, vt ita te supra te eleues per quosdam de virtute in virtutem gradus. Quòd si modum, quo suauiter id & magnâ cum vtilitate perficias, requiris; OSTENDE MIHI FACIEM TVAM, tua mecum communicando non tantùm bona, & benefacta mihi in gloriam offerendo, sed & mala & miserias humiliter detegendo: vulnera enim misericordi medico aperire, nihil est aliud quàm ad medicinam eum permouere. Quòd si id parum tibi videtur, SONET VOX TVA IN AVRIBVS MEIS, necessitates mihi tuas exponendo, & auxilium gratiæ magno cum animi feruore implorando. Nec metue, ne nimiâ me familiaritate offendas: enimuerò delector ego huiuscemodi consuetudine: VOX ENIM TVA DVLCIS mihi est, vt libenter eam audiam: ET FACIES TVA DECORA, ob desiderium,

&

& puram intentionem, quæ in eâ elucent. Negare interim non possum, quosdam subinde defectus in te adhuc apparere, & nonnulla venialia delicta intercurrere: nolim tamen propterea animum abiicias, cùm nihil mihi ferè optatius acceptiusque sit*, quàm istiusmodi malis remedium adhibere. Etenim quemadmodum amantes balbutientium liberorum parentes multò magis gaudent verbis minùs articulatis, ab illis blæsâ licet & infantili linguâ inclamari, multoque id maiori cum plausu excipiunt, quàm si adulti eos benè formatis patris matrisque vocabulis salutent: ita licet Angeli, cælorumque incolæ me multò perfectiùs laudent, quàm mortales in hac caducæ carnis miseriâ; hac tamen quantumuis inconcinnâ laude non minùs delector, maximè si eam paulatim formare possim atque corrigere, quàm illorum plenis consummatisq; benedictionibus. Hoc interim memoriæ manda, filia, nolle me ista venialia, quantumlibet parua delicta, à te contemni, quasi parum detrimẽti adferant. Vtut enim parua videantur, non parum obsunt, & vilipensa, nisi animum aduertas, paulatim in grauiora excrescent; aut numero aucta, etiam sic, licet mortifera non fiant, ipsis tamen mortiferis facilè viam sternent. Consulo ergo seriò, quin & impero, vt

 hîc

hîc cum aliis ſodalibus, quaſi collato ſtudio, aduigiles, vt elimines ex tibi creditâ vineâ illas, vt ita dicam, beſtiolas: CAPITE NOBIS VVLPES PARVVLAS, QVÆ DEMOLIVNTVR VINEAS. Nam, eſto, in tantum robur non excreuerint, vt aut exſtirpare aut à radicibus mordicùs truncare vites poſſint, vires tamen cum tempore accipiunt, & nunc etiam excutiunt flores, quibuſcũ etiam ipſa fructuũ ſpes decidit: quod ipſum hoc maximè tempore nõ leuem nobis prouentuũ iacturã minatur, NAM VINEA NOSTRA FLORVIT, vt magnas incurſationes & aſſultus non ferat. Diſce itaque, Sulamitis, etiam venialia peccata, eaq́ue quæ ferè ab hominibus contemni ſolent, quòd gratiam non tollant, etiam bonis deſideriis, quæ nuper florum nomine intelleximus, obſiſtere, eaq́ue infringere, ne in ſperatos fructus matureſcant. Animabat me non mediocriter Dilecti mei adeò blanda & amicabilis tum admonitio, tum inuitatio: quæ ne incaſſùm & ſine fructu abiret, ſtatuebam vltrà mihi non parcere, ſed in eius obſequium omni me conatu impendere: quare ita mecum deliberabam: Ecce quàm liberaliter DILECTVS MEVS MIHI ornandæ & excolendæ incumbit; vnum ergo reſtat, vt ET EGO ILLI mutuo amore mutuâq́ue fidelitate reſpondeam; cumq; ille is ſit, QVI

PASCI-

PASCITVR INTER LILIA, puras castásque mentes in deliciis habens, nihil tantoperè mihi curandum video, quàm vt ego parandis sanctorum desideriorum pascuis totam me impendam eousque, DONEC ASPIRET DIES ille lucidus & serenus, qui occasum nesciet; ET INCLINENTVR, fugiantque & recedant VMBRÆ præsentium harum tenebrarum, in quibus misera adhuc versor. Interim verò, quia certum est sine te nihil me posse, dilectissime Sponse, quæso te obsecroque ne inertiâ ignauiâque hactenus meâ offensus me deseras, sed sæpiùs, iterumque REVERTERE, qualis soles, nouis me gratiæ tuæ donis beans & roborans: quare rursus SIMILIS ESTO, DILECTE MI, CAPREÆ, HINNVLOQVE CERVORVM, notæ pernicitatis animantibus, SVPER MONTES BETHER, id est diuisionis, in quibus iam versor, cùm ab vnâ viuendi ratione in alteram, id est à concubinis ad Reginas me transfero. Cùm autem in omni tali mutatione vitæ, quasi ex vno monte in alterum transiliatur, quod sine periculo lapsus fieri non solet; propterea opem sæpè mihi exploratam auxiliumque tuum in hac necessitate etiam etiamque imploro.

NOTÆ.

SVRGE AMICA MEA, SPECIOSA MEA, ET VENI.] *S. Greg. Nyss. Hom. 5. docet hanc repetitionem earũ vocum quæ superiùs posita etiam fuerant, maioris stimuli vim habere. Origenes Hom. 4. videtur velle animam post fundamenta virtutum iacta moneri, ne satis à se factum putet: sed nouâ excitatione opus fuisse, vt in benè cœptis semet perficiat.*

S. Gregorius Magnus in hunc locum: Surgit anima, cùm à peccati perpetratione se erigit; venit, cùm per bona opera sancti desiderij passibus ad cælestia tendit * * * * Hæc itaque mens surgit, & venit, quia à torporis infirmitate per compunctionem se erigit, & in sanctis studiis se exercens ad æterna pedibus amoris currit.

COLVMBA MEA IN FORAMINIBVS PETRÆ, IN CAVERNA MACERIÆ.] *S. Ambrosius lib. de Isaac & animâ cap.* 4. Surge secura integumento petræ, id est tuta præsidio passionis meæ, & fidei munimento. *Idem Serm. 6. in Psal.* 118. Propugnacula fidei tuæ, gesta sunt Christi. Muri tui subsidia, verba sunt Domini. Passio Dominici corporis, tua est virtus.

S. Gregorius paullò antè à nobis allata verba ita prosequitur: Per foramina petræ, vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim; cauernam verò maceriæ, vulnus lateris, quod lanceâ factum est, eodem sensu dixerim. Et benè columba in foraminibus petræ & cauernâ maceriæ esse dicitur; quia dum in crucis recordatione Christi patientiam imitatur, dum ipsa vulnera propter exempla ad memoriam reducit, quasi colum-

columba in foraminibus, ſic ſimplex anima in vulneribus nutrimentum, quo conualeſcat, inuenit. *Vide etiam S. Hieronymum lib.* 1. *contra Iouinianum, circa medium, S. Gregorium Nyſſenum Homiliâ* 5. *Anſelmum in hunc locum.*

Accommodè verò ad Tropologiam Rikelius art. 7. Poſſunt per foramina petræ intelligi tuta ac robuſta latibula gratiæ, in quibus animæ virtuoſæ quieſcunt, & à ſuæ ſalutis hoſtibus ſe abſcondunt durante hac vitâ. Hæc autem latibula ſunt humilis recognitio proprię defectuoſitatis, ſpes diuinę ſubuentionis, timor Dei ſincerus, & mortificatio ſui ipſius, refugiumque ad Deum, & ei iugiter inhærere: cauerna verò maceriæ eſt humilitatis profundum, ſeu penetratiua conſideratio ſupernorum.

Abben Ezra ait, vbi nos legimus in foraminibus petræ, *ibi Hebraicam vocem ſignificare circuitum in modum ſphæræ vndique ambientem: quod ſanè ad maiorem animæ ſecuritatem facit.*

OSTENDE MIHI FACIEM TVAM, SONET VOX TVA IN AVRIBVS MEIS: VOX ENIM TVA DVLCIS, ET FACIES TVA DECORA.] *Quòd Sponſus deſideret videre, vt defectus curet, notauit ante nos Origenes Hom.* 4. Dicit ad eam, Oſtende mihi faciem tuam; profectò vt videat, ſi non aliquid in vultu veteris adhuc velaminis habeat, ſed poſſit intrepidis obtutibus gloriam Domini ſpeculari. *Alludit ad aquilam pullos ſuos ex eo noſcitantem, quòd ſine nictatione ſolarium radiorum lumen intueantur.*

CAPITE NOBIS VVLPES PARVVLAS, QVÆ DEMOLIVNTVR VINEAS: NAM VINEA NOSTRA FLORVIT.] *Carthuſianus docet vulpes paruulas eſſe* prauas ſuggeſtiones, & tentationum exordia, primos motus,

motus, inchoationes culparum, quæ mox ab initio ſunt extirpanda, ne paulatim totam inficiant animę vineam.

S. Bernardus etiam Serm. 64. paruas vulpes exponit illas tentationes, quæ clàm irrepunt, & ſub virtutum ſpecie minùs cautas animas decipiunt. De his autem ibidem ipſe fusè & eleganter diſputat.

Rabbinus Hebræorum innominatus hæc verba Sponſæ tribuit: expoſitio tamen illa nobis probè quadrat, ita enim loquitur: Et ego, inquit Sponſa, cùm vidi Dilectum meum cupere mecum lætari in vineis, iuſſi ſeruis meis, & dixi: Prehendite nobis vulpes iſtas, quæ labefactant vineas. *cuius expoſitionis ſenſus ad noſtram mentem optimè poteſt accommodari.*

DILECTVS MEVS MIHI, ET EGO ILLI, QVI PASCITVR INTER LILIA.] *Mutuum & reciprocum amorem ex hoc loco graphicè depinxit S. Bernardus Serm. 69. his verbis:* Qualem paraueris te Deo, talis oportet vt appareat tibi Deus. Cum ſancto ſanctus erit, & cum viro innocente innocens erit: quid ni cum amante amans erit, cum vacante vacans, cum intento intentus, cum ſolicito ſolicitus? Denique ait: Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me. Vides quomodo non ſolùm de amore ſuo certum te reddat, ſiquidem tu ames illum, ſed etiam de ſolicitudine ſuâ quam pro te gerit, ſi ſenſerit te ſolicitum ſui. Vigilas tu? vigilat & ille. Conſurge in nocte in principio vigiliarum tuarum. Accelera quantum vis etiam ipſas anticipare vigilias: inuenies eum, non præuenies. Temerè in tali negotio vel prius aliquid tribuis tibi, vel plus: & magis amat, & antè. Si hæc anima ſcit,

imò

imò quia ſcit, miraris quòd illa maieſtatem quaſi cetera non curantem ſibi ſoli intendere glorietur, cui ſoli ipſa poſtpoſitis curis intendit?

Idem S. Bernardus Serm. 71. *in Cant.* Sponſus cùm ſit virtus, in virtutibus complacet ſibi: & cùm ſit lilium, libenter inter lilia cõmoratur: & cùm ſit cãdor, delectatur candidis. Et fortaſſe hoc eſt quod dicitur paſci inter lilia, candore & odore virtutum delectari. Et quidem paſcebatur olim corporaliter apud Mariam & Martham, & recumbens etiam corpore inter lilia (illas loquor, nam lilia erant) nihilominùs ſpiritum refocillabat deuotione & virtutibus mulierum: *** Ita ergo ſecundùm vtrumque (carnem dico & ſpiritum) paſci inter lilia inuentus eſt. Puto autem, quòd & ipſe viciſſim paſceret, ſed in ſpiritu. Hoc ipſo quo paſcebatur, quomodo paſcebat? Quomodo, inquam, confortabat timiditatem feminarum, iucundabat humilitatem, impinguabat deuotionem? **** At paſcens ita, puto, nihilominùs paſcitur ipſe; & quidem eſcis quibus libenter veſcitur, profectibus noſtris: Etenim gaudium Domini fortitudo noſtra. Ita ergo & cùm paſcit, paſcitur, & cùm paſcitur, paſcit; ſimul & nos gaudio ſuo ſpiritali reficiens, & de noſtro æquè profectu gaudens. Cibus eius pœnitentia mea, cibus eius ſalus mea, cibus eius ego ipſe. *Hæc Bernardus.*

Lilia ergo paſcua ſunt Sponſi, in quibus deliciatur: lilia etiam paſcua ſunt, quibus amicos ſuos reficit; quo vltimo modo accipit hæc S. Gregorius Nyſſenus: cui etiam ſeptuaginta Interpretum verſio quadrat, Qui paſcit liliis. *Nyſſeni verba hæc ſunt*: Hic eſt, qui gregi non fœnum pabuli loco præbet, eſt enim fœnum

num brutorum proprium, ac naturæ illorum peculiare alimentum. Homo autem, cùm rationis ſit particeps, verâ ratione paſcitur: quòd ſi huiuſmodi fœno paſceretur, & ipſe in fœnum commutaretur: ſcriptum eſt enim, Omnis caro fœnum, quamdiu ſcilicet caro exiſtit; at ſi quis ſpiritus fiat, eſt ſpiritu progenitus, non ampliùs victu gramineo paſcetur, ſed ſpiritus ei erit pro alimento, id quod puritas & fragrantia lilij obſcuriuſculè notant.

Rabbinus innominatus apud Genebrardum ita vertit, & exponit: Amatus meus ſtat propter me, nam nullos amores habet præter meos. Sed & ego illi, quoniam præter eum nullum amo. Qui paſcit inter roſas, perinde odorus eſt & fragrat ipſe, ac ſi ſtetiſſet in medio roſarum.

DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTVR VMBRÆ.] *Meritò aſpirans dies illam æternitatis beatitudinem ſignificat, de quâ Philo Carpathius:* O verè diem illam, in quâ nulla nox, nulla mutabilitatis vmbra, nullæ rerum vices inſunt, ſed omnia luciſſima, ſtabiliſſima, æterna!

Dubium verò iniicit S. Bernardus Serm. 72. Operoſiùs, *inquit*, oſtendetur, quomodo tunc Dilectus paſci deſinat, cùm aſpirauerit dies: etenim ſi dies reſurrectionis is eſt, quid ni multò magis paſci ibi inter lilia iuuet, vbi horum maior admodum copia erit? *ſed mox bene ſoluit nodum:* Aduerte mecum, toto licet liliis fulgentibus regno, Sponſoq; medio exiſtente, & deliciante, non tamen eſſe quod dicatur, & paſci, iuxta id quidem quod antè conſueuerat: vbi namque iam peccatores, quos ſibi incorporet Chriſtus, manſos morſoſque quaſi quibuſdam

buſdam dentibus diſciplinæ auſterioris, afflictione ſcilicet carnis, & cordis contritione?

REVERTERE : SIMILIS ESTO, DILECTE MI, CAPREÆ, HINNVLOQVE CERVORVM SVPER MONTES BETHER.] *Aponius:* Reuerſio eius (*Sponſi*) eſt, dum precibus, ieiuniis, lacrymiſque ad miſericordiam inclinatus, ad veſtigia pietatis ſuæ velociùs recurrit, quàm proſilierat vindicando; ſimilis factus curſui, vel conſuetudini capreæ, hinnulóque ceruorum. *& mox*: Exacerbatę ab hoſtibus [caprę] conſuetam nolunt relinquere ſedem; ſicut & Chriſtus Dominus noſter, quamuis prouocatus, quamuis exaſperatus peccatis hominum, pietatis tamen non relinquit conſuetam ſedem.

PARS

PARS II.

De ſtatu illarum animarum, quæ in vitâ Religiosâ perfectè ſibi ſolis vacant.

SECTIO PRIMA.

Difficultates initiò obortæ, & ſuperatæ.

TEXTVS, *ex cap.* 3. *verſ.* 1. 2. 3. 4. 5.

1 IN lectulo meo per no-
ctes quæſiui quem dili-
git anima mea: quæſiui
illum, & non inueni.
2 Surgam, & circuibo ciuitatem: per
vicos & plateas quæram quem diligit
anima mea: quæſiui illum, & non in-
ueni. 3 Inuenerunt me vigiles, qui cu-
ſtodiunt ciuitatem, Num quem dili-
git anima mea, vidiſtis? 4 Paululum
cùm pertranſiſſem eos, inueni quem
diligit anima mea: tenui eum; nec di-
mittam, donec introducam illum in

domum

domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. 5 Adiuro vos filiæ Ierusalem, per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

PARAPHRASIS.

ERRORI ferè semper obnoxia nouitas, de quo anteà metueram, mihi hîc etiam initiò insidias struxit. Statueram, & benè quidem, in ipso gradus huius limine omnia alia mihi excludenda esse, nihilq; præter Dilectum mihi recipiendum: verùm quidnam hoc ipsum, quod statuerã, esset, neutiquã intelligebam. Credebam enim tum me id egregiè facturã, cùm negotiis omnibus aliis me expediuissem; de otio interim, & desidiâ, certissimis virtutum pestibus, repellendis non cogitabam. IN LECTVLO ergo MEO PER NOCTES QVÆSIVI QVEM DILIGIT ANIMA MEA, & reuerà apud me hac in parte adhuc alta nox erat, & proinde facilior atque etiam veniâ dignior error. QVÆSIVI itaque ILLVM, ET NON INVENI, neque enim sapientia inuenitur in terrâ suauiter viuentium. quid facerem? quies ipsa mihi molesta & grauis erat eo absente, quem tam altè cordi meo infi- Iob 28. v. 13.

xum geſtabam. Mutaui conſilium, & quem in otio non inueneram, in negotiis iterùm quærere ſtatuebam. Dicebamque ipſa mecum: SVRGAM, ET CIRCVIBO CIVITATEM: PER VICOS ET PLATEAS QVÆRAM iterùm illum, QVEM DILIGIT ANIMA MEA. Sed tantumdem erat: QVÆSIVI ILLVM, ET NON INVENI. paris enim ferè ineptiæ eſt, aut torpere ignauiâ, aut occupationibus friuolis, eisque, quæ ad rem non faciunt, fruſtrà defatigari, eoque pacto tempus, & cum tempore ſeipſum terere. Verum quidem eſt, interdum ad fugam otij bonum eſſe externæ operationi aliquantiſper ſe impendere: ſed hoc in vitâ ſpiritali non primarium, verùm vltimum ferè eſſe debet; vbi nimirum interior mentis actuatio interruptionem exigit, ne dormitante tum ſpiritu inimicus homo bono ſemini ſuperſeminet zizania. Et hactenus quidem errabam. Bonam tamen intentionem meam videns Optimus miſericordiarum Pater, & illud meum deſiderium eſſe, vt ipſi placere contenderem, hoc pacto in rectam viam me reduxit. INVENERVNT ME (agente id haud dubiè illo, quem quærebam) VIGILES QVI CVSTODIVNT CIVITATEM: illi nimirum, quibus Rex animarum curam commiſerat; qui ſuo probè fungentes officio inuenerunt me, priuſquam à me inueni-

uenirentur; & caussam insolentis de nocte obambulationis sciscitati sint: quibus ego, Quæso vos, dicebam, accuratissimi excubitores, NVM, QVEM DILIGIT ANIMA MEA, VIDISTIS? Non erat ille quidem inter eos; aliud enim est de rebus piis sanctisque cum piis hominibus agere aut similes libros lectitare, aliud pium sanctumque esse: falluntur ergo illi qui talibus in rebus solis tempus & se terunt, existimantes tum se maximè pietatem exercere. Quòd si tamen quispiam bonâ mente, & voluntate deliberatâ ea quæ docentur ab illis benè exequendi, cum illis agat, is ex istorum colloquio facilè ita recedet, vt paulò pòst Dilectum aptus sit reperire. Eoque planè modo mecum actum fuit, PAVLVLVM, CVM PERTRANSISSEM EOS, INVENI QVEM DILIGIT ANIMA MEA. nec mirum: illâ enim institeram viâ, quam vigiles illi mihi ostenderant. Quis hîc satis exprimat, quantâ cum animi voluptate atque lætitiâ in amplexus eius cucurrerim. Etenim tota ipsum circũfusa TENVI EVM; & intra me dicebã, Iam certè NEC DIMITTAM eum, DONEC INTRODVCAM ILLVM IN DOMVM MATRIS MEÆ, ET IN CVBICVLVM GENITRICIS MEÆ. Si quis enim seriò, & toto affectu vitę contemplatiuæ se velit consecrare, necesse est, vt is initiò maximè sibi vim

 inferat,

inferat, & contemplationi quàm diligentiſſimè inſiſtat, donec plenus eius habitus acquiratur, & anima cum cæleſti Salomone iam tamquam cum domeſtico ſuo familiarem acquirat conſuetudinem. Perplacuit deliberatio iſta Dilecto meo, & auctoritate ſuâ votum iſtud confirmauit, feriò interdicens, ne qua filiarum Ieruſalem incœptum iſtud meum auderet impedire: idque iterùm quaſi conceptis anteà verbis præcepit: ADIVRO VOS FILIÆ IERVSALEM PER CAPREAS CERVOSQVE CAMPORVM, NE SVSCITETIS, NEQVE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM, DONEC IPSA VELIT. quaſi diceret: Si anteà ſingulos meditãdi actus interrumpi inuitâ Sulamitide tam grauiter vetui: quid iam mihi mentis fore creditis, ſi quis hoc contemplandi ſtudium, vnde totum vitæ ſanctioris inſtitutum ferè pendet, infringere audeat? quare ô filiæ Ieruſalem hoc dico & edico vobis, vt ſciatis iſtud vobis criminis, ſi modò tantùm tentare auſæ fueritis, impunitum non fore.

NOTÆ.

IN LECTVLO MEO PER NOCTES QVÆSIVI QVEM DILIGIT ANIMA MEA: QVÆSIVI ILLVM, ET NON INVENI.] *Venerabilis Beda*: Quia in lecto meo quæſiui, id eſt, illecebris adhuc carnis meæ ſubdita; quia per noctes, hoc eſt in tenebris profundæ

fundæ ignorantiæ, quæsiui; * * * inuenire, quem quæsiui, minimè præualui.

S. Ambrosius lib. 3. de Virgin. monet ex hoc loco, vt de die Dominum quæramus, diem autem dicit gratiæ, quæ in Ecclesiâ inuenitur, quemque desiderauit Abraham videre, & quo viso gauisus est. *S. Gregorius hîc:* Per noctes quærit, qui modò in hoc mundo viuit, & tenebras temporalitatis à se perfectè non excutit.

De hac diligentiâ in quærendo benè S. Bernardus Serm. 84. Magnum bonum, Deum quærere. Ego hoc nulli in bonis animæ secundum existimo. Primum in donis, vltimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quam nulla præcedit? Cui præcedat, quæ omnium magis consummatio est? Quæ enim virtus adscribi possit non quærenti Deum, aut quis terminus quærenti Deum? Quærite, inquit, faciem eius semper. Existimo, quia nec cùm inuentus fuerit, cessabitur à quærendo. Non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus.

S. Gregorius lib. 5. Moral. c. 4. Abscondit se Spõsus, cùm quæritur; vt non inuentus, ardentiùs quæratur: & differtur quærens Sponsa, ne inueniat, vt tarditate suâ capacior reddita, multipliciùs quandoque inueniat, quod quærebat.

SVRGAM, ET CIRCVIBO CIVITATEM: PER VICOS ET PLATEAS QVÆRAM QVEM DILIGIT ANIMA MEA: QVÆSIVI ILLVM, ET NON INVENI.] *S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus:* Nequaquam ibi quæramus Christum, vbi inuenire non possimus. Non est Christus circumforaneus: Christus enim est pax, in foro lites; Christus iustitia est, in foro

iniquitas.; Christus operator est, in foro inane otiū; Christus charitas est, in foro obtrectatio; Christus fides est, in foro fraus atq; perfidia; Christus in Ecclesiâ est, in foro idola; *** in Ecclesiâ vidua iustificatur, in foro circūuenitur: fugiamus ergo forum, fugiamus plateas. *Videri etiā potest S. Hiero. Ep. 22. ad Eustochium c. 11. hæc vt nos exponens. Non tamen videtur diligētia Sulamitidis omni fructu cassa fuisse, vel eo saltem nomine, quòd bono stimulante desiderio omnia faciebat: quod etiam obseruauit Rich. de S. Victore, qui verba in Textu sequētia nobiscum exponit.*

INVENERVNT ME VIGILES, QVI CVSTODIVNT CIVITATEM.] Quæsiuit, *inquit Richardus*, Sponsa Dilectum suum per vicos & plateas, & non inuenit: nondum enim præsentiam eius sensit, nondum desideratam gratiam accepit. Nec mihi ambigendum, quin in circuitu suo multum acquisiuerit, multamque in se gratiam auxerit: siquidem ex agnitione bonorum & virtutum, non parum accensum est in eâ desiderium iustitiæ: accessit enim ad ardentes hoc igne, quē Dominus IESVS misit in terram, & voluit vehementer accēdi; ad quos dum accedit tepida, incalescit, & feruida ampliùs ignescit.

S. Bernardus Serm. 77. Illa quærebat Sponsum, & Sponsum non latebat; nempe qui in hoc ipsum excitauerat eam vt se quæreret, & dederat cor ad præcepta ac legem vitæ & disciplinæ, dummodò esset qui instrueret & doceret viam prudentiæ. Et misit in occursum eius plantatores & rigatores, qui eam erudirent, & confirmarent omni certitudine veritatis; hoc est, indicarent illi, certamque redderent de Dilecto. *Et anteà etiam Serm. præcedente idem:* Quàm boni vigiles, qui nobis dormientibus

ipſi peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus noſtris? Quàm boni cuſtodes, qui vigilantes animo, & in orationibus pernoctantes, hoſtium inſidias ſagaciter explorant, anticipant conſilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula diſſipant, machinamenta fruſtrantur? *& plura in eumdem ſenſum.*

R. Salomon vult hos vigiles fuiſſe Moyſen & Aaronem, quorum diligentia pro populo Iſraelitico excubias duxit.

PAVLVLVM CVM PERTRANSISSEM EOS, INVENI QVEM DILIGIT ANIMA MEA.] *S. Bernardus Serm. 79. in Cant. loquens de iſtis vigilibus, inquit:* Breuî edoctam emittunt de eo quod quærit, vt dicat: Paululùm cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. Benè, paululum; quia verbũ abbreuiatũ fecerunt ei, ſymbolum fidei tradẽtes *** Oportebat quidem Sponſam tranſire per eos, per quos cognoſceret veritatem; ſed tamen & pertranſire. Niſi enim pertranſiſſet & ipſos, non inueniſſet quem quærebat. Atque hoc ipſum ſuaſum ab illis non ambigas. Non enim prædicabant ſemetipſos, ſed Dominum ſuum IESVM.

TENVI EVM; NEC DIMITTAM, DONEC INTRODVCAM ILLVM IN DOMVM MATRIS MEÆ, ET IN CVBICVLVM GENITRICIS MEÆ.] *S. Bernardus eodem Serm.* Sanctus Patriarcha, Non te, inquit, dimittam, niſi benedixeris mihi. ita iſta non vult eum dimittere, & fortè magis quàm Patriarcha non vult, quia nec pro benedictione quidem; ſiquidem ille acceptâ benedictione dimiſit eum, hæc autem non ſic: Nolo, inquit, benedictionem tuam, ſed te. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſu-

per terram? non dimittam te, nec si benedixeris mihi. Tenui eum, nec dimittam.

Richardus de S. Victore. Tenetur Deus orationis deuotione, desiderio, importunitate, memoriâ, prece, fide, expectatione exauditionis; nec dimittitur, si ab intentione non cesset, nec vultus in diuersa mutentur.

S. Gregorius Nyssenus Hom. 6. Cor omnino est conclaue: quod tunc fit capax diuinæ eius habitationis, quando redierit ad illum statum in quo fuit ab initio, quando fuit confictum ab eâ, quæ ipsum concepit. *id est, vt ipse postmodum exponit, à primâ eius constitutione.*

Notauimus ex hoc loco, perquàm necessarium esse initio vitæ contemplatiuæ vim sibi inferre, donec habitus ex malâ ferè consuetudine contractus in meliorem conuertatur. eius rei confirmationem visum est paucis ex Climaco adferre; qui in Scala paradisi, gradu primo, ita loquitur: Summâ reuerà violentiâ, & iugibus laboribus illi opus est, qui in cælum ascédere iam corpore nititur, idque maximè in principio renuntiationis suæ; donec mores nostri assueti voluptatibus, & cor nostrum hactenus sine doloris sensu, in amorem Dei castitatisque sanctificationem per intensissimum luctum conuertantur.

ADIVRO VOS FILIÆ IERVSALEM, PER CAPREAS CERVOSQVE CAMPORVM, NE SVSCITETIS, NEQVE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM, DONEC IPSA VELIT.] *Adiuratio hæc ei similis quam c. 2. v. 7. habuimus. Neque in explicatione quidquam interest, nisi quòd ibi singuli actus meditandi viderentur commendari, hîc de ipso statu vitæ contemplatiuæ agatur, aut de tali cõtinuatione actus, quæ totã vitã reformet.*

SE-

SECTIO II.

Filiæ Ierusalem variis comparationibus commendant in Sulamitide ſtudium contemplandi.

TEXTVS, *ex cap. 3. verſ. 6. 7. 8. 9. 10. 11.*

6 QVAE eſt iſta, quæ aſcendit per
deſertum, ſicut virgula fumi ex
aromatibus myrrhæ, & thuris, & vni-
uerſi pulueris pigmentarij? 7 En lectu-
lum Salomonis ſexaginta fortes am-
biunt ex fortiſſimis Iſrael: 8 omnes te-
nentes gladios, & ad bella doctiſſimi:
vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum
propter timores nocturnos. 9 Ferculum
fecit ſibi Rex Salomon de lignis Liba-
ni: 10 columnas eius fecit argenteas, re-
clinatorium aureum, aſcenſum purpu-
reum: media charitate conſtrauit pro-
pter filias Ieruſalem. 11 Egredimini &
videte filiæ Sion regem Salomonem in
diademate, quo coronauit illum mater
ſua in die deſponſationis illius, & in die
lætitiæ cordis eius.

PARAPHRASIS.

NOTATA in me magnâ vitæ morumque mutatione, sodales meæ primam illam æmulationem in admirationem verterunt; & quasi veterem sociam iam nó agnoscentes, QVÆ EST ISTA, dicebant, QVÆ ASCENDIT PER DESERTVM? inter mundi huius delicias, quas nos hactenus magni fecimus, etsi reuerà plus aloës quàm mellis habeat; ipsa solitudinis amantissima, & ex eâ in Deum se erigens, ita vt res omnes creatas infra se constituat: estque SICVT VIRGVLA FVMI, quæ à sacrosancto illo igne, quo excitata fuerat, recto & continuato tractu sursum subuehitur. Consistit ea EX AROMATIBVS MYRRHÆ, ET THVRIS, ET VNIVERSI PVLVERIS PIGMENTARII; id est, ex studio mortificationis, & orationis, aliarumque virtutum, quarum se exercitio totam applicat: omniaque eò dirigit, vt ad diuinam Sponsi sui gloriam referantur, vt quæ mentem ipsa suam sacratiore incendio inflammatam ad cælestia abripiat. Suspicari hîc aliquis posset, illam virgulam fumi sereno cælo, & nullo ventorum motu agitato aëre, rectà quidem sursum ferri; sed eamdem minimo flatu facilè discutiendam. Ve-

Verùm longè aliter de me ſentiebant ipſæ, quæ comparationem iſtam inſtituebant; quare alterâ ſimilitudine meam firmitudinem, & in bono conſtantiam indicabant. En, dicebant, LECTVLVM SALOMONIS SEXAGINTA FORTES AMBIVNT EX FORTISSIMIS ISRAEL. tam validâ manu munit requiem ſuam Maximus ille & Sapientiſſimus Regum, nec id ſine cauſâ: enimuerò hoſtium quietem iſtam euertere conantium adeò pertinax eſt odium, tamq́ue continuæ expectandæ ſunt inſidiæ; vt ſatis non ſit milites illos ſingulas vno in loco excubias agere, ſed neceſſe habeant lectulum vndique ambire, omneſq́ue occultas hoſtium machinationes obſeruare. Quia verò hoc in bello plurimum quoque refert non præueniri, ad pugnam ſemper expediti ſunt, & OMNES manibus TENENTES GLADIOS, ET AD BELLA DOCTISSIMI, ne facilè furtiuis hoſtium ſtratagematibus decipiantur; à quibus alij, qui in hac militiâ minùs benè verſati ſunt, maximoperè periclitantur. Denique & bellicoſi hi iuuenes ne in ipſâ quidem requie tam ſupinè dormiunt, vt omni ſolicitudine ſoluantur. Nam & in ipſo ſomno eſt VNIVSCVIVSQVE ENSIS SVPER FEMVR SVVM PROPTER TIMORES NOCTVRNOS; nequando in repentinis, vt fit,

ad

ad arma conclamationibus imparati ad hostium inuasiones retundendas inueniantur. Itaque fortiter, circumspectè, prudenterque & diligenter Sulamitis in ipsâ requie cum Rege custoditur. Verùm alius hîc rursus existimet, Salomonem vno tantùm in loco Dilectam hanc suam habere posse, vt lectuli vno plurimùm loco affixi sunt. Hæc sanè non ita, sed vbique ad eius famulatum præstò est, vt non tam ipsa pro suo arbitrio habere, quàm ad Regis imperium prompta inueniri studeat: grabato itaque gestatorio optimè potest comparari, & de eâ dici, FERCVLVM FECIT SIBI REX SALOMON DE LIGNIS LIBANI, in quâ pro arbitrio possit circumgestari: parum enim placitæ illi sunt animæ, quæ ita ad vnum se determinant, vt à consuetis etiam in minimo recedere si cogantur, omnem simul pietatis suauitatem amittant. Ad nutum suum promptum paratumque spiritum desiderat Deus; vt non sit opus illum rogare: Quid vis tibi faciam? sed ipsa potiùs sponsa roget: Domine quid me vis facere? Hoc autem ferculum adeò elegans, adeò pretiosum est, vt eius artificium non permittat de artifice dubitari. Ipse enim Salomon sibi hoc fecit, neque quisquam seruorum Dei hanc in obtemperando alacrem indifferentiam sibi ipsi potest adscribere,

bere, quòd à nullius quàm à ſolius Dei manibus opus tam abſolutum poſſit prouenire. Quòd verò ex lignis Libani ferculum iſtud compoſitum dicitur, eo innuitur cedrorum durities: illæ enim arbores in monte Libano maximè viſendæ ſunt, & celeberrimæ. Soliditas autem hæc ſignificat, contemplationis ſtudium firmum & ſtabile eſſe debere; in quo genere eorum diligentia commendatur, qui meditandi contemplandiq́ue ſtudium non tantùm nullo die omittunt, ſed & ſtata diei tempora huic exercitio deputata ex facili non tranſiliunt. COLVMNAS verò ferculi EIVS FECIT ARGENTEAS. Intellige, præcipua capita, quibus velut baſibus meditatio innitatur, & vnde documenta virtutum eliciuntur, non tantùm ſolidæ & indubitatæ veritatis eſſe, quod argenti durities innuit; ſed & claritas & ſplendor eiuſdem metalli oſtendit, in mente meditantis nullam de eis dubitandi nebulam poſſe permitti, vt qualia in ſe ſunt, pro talibus etiam intelligantur. Fecit etiam in eodem ferculo RECLINATORIVM AVREVM. Caput Salomonis nuſquam ſuauiùs requieſcit, quàm vbi aurum charitatis, igne purgatum, varieq́ue probatum inuenitur. Hinc etiam qui in charitate manet, manet in Deo, & Deus in eo: quippe nullus affectus animam citiùs in con-

contemplationis extasim abripit, & Deo iungit, quã affectus amoris & charitatis. Deinde ASCENSVM PVRPVREVM addidit: nam purpurei Sanguinis in humani generis redẽptionem effusio, mentis oculis obiecta, prædictũ illum amorẽ facillimè accendit. Compẽdiaria ergo ad aureum illud reclinatorium via est, cruenta Sponsi vestigia legere, & imitationis feruore ardenter eisdẽ insistere: quâ de caussâ omni sæculo patientis Dei cognitionem amicos suos noluit ipse latere. Denique MEDIA quę inter gradus sunt interstitia, CHARITATE CONSTRAVIT; dum omne quod inter vnam & alterã meditationẽ intercurrit tẽpus, operibus impendit charitatis: idq́; PROPTER FILIAS IERVSALEM; tũ vt eis prosit, huc enim ipsa charitas trahit, tum ne infirmiores scandalũ patiantur: sunt enim, qui vitã Religiosam ignauiæ & torporis dãnent; quippe cùm interiores animi operationes nõ percipiant, si externi operis nihil in eâdẽ videant, vt planè otiosam ac desidem arguunt. Hinc prudenter & ex consilio voluit Sponsus, media graduum & contemplationũ interstitia operibus impẽdi charitatis, vt pusillorum ita infirmitati occurratur. Adde, quòd vix quisquã adeò in contemplatiuæ vitæ stadio prouectus est, vt cõsultissimũ non sit internum mentis opus externo aliquo labore inter-

interrumpere: qui ſi ad proximi cõmodum referatur; næ tũ duplex charitatis lex, Deum hominesq́ue reſpiciens, pulchrè impletur.

Deinde, vt non tantùm piam, fortem, & ad benefaciendum expeditam contemplantium vitam eſſe oſtenderent, heroicam eius nobilitatem nouâ rurſus allegoriâ expreſſerunt: meque ipſius Salomonis coronam nominarunt, titulo apud maleuolos fortè inuidioſo, Regiis tamen auribus minimè ingrato. Vt enim omne opus ingeniosè & affabrè factum, artificem ſuum commendare dicitur; ita nulla Dei creatura, in hoc quod colimus vniuerſo, nobilior inuenitur animâ in virtutum ſtudio ſedulò occupatâ, veræq́ue ſanctimoniæ ornatu excultâ; cuius conuerſatio cælica potiùs quàm terrena, eam in hoc etiam carnis ergaſtulo Angelicis ſpiritibus ſimillimam reddit. Hæc ergo Conditoris ſui corona meritò poſſit nominari. Extimulabant igitur ſe inuicem adoleſcentulæ virgines ad hanc coronam curioſiùs inſpiciendã: EGREDIMINI dicebant, & ab aſſuetis occupationibus pauliſper vacate, ET VIDETE FILIÆ SION REGEM SALOMONEM IN DIADEMATE, QVO CORONAVIT ILLVM MATER EIVS, id eſt, quam ab humano genere, à quo maternam familiam ducere voluit, accepit IN DIE DESPONSATIONIS ILLIVS: tum

nimi-

nimirum, cùm ſacrátioribus nuptiis illam ipſam, quam ſibi pro corona reputat, in ſponſam recepit; poſteà, id eſt in ſequenti vitâ, indiſſolubili nexu eamdem in vxorem quaſi pleno perfectoque matrimonio coniuncturus: quæ deſponſatio animæ tam illi iucunda ac expetita eſt, vt eam IN DIE LÆTITIÆ CORDIS EIVS dicatur celebrare. Neque enim quidquam vmquam in terris ab vllâ re creatâ offerri illi poteſt gratiæ tali animâ, quæ relictis omnibus feriò ſe eius ſtatuit obſequio mancipare.

N O T Æ.

QVÆ EST ISTA QVÆ ASCENDIT PER DESERTVM.] *S. Gregorius:* In deſerto, vtique in hoc mundo Eccleſia ſiue quæque anima viuit, dum à regno exul inter beſtias, dæmones videlicet, degit. * * * Ob hoc ſemper laborat vt aſcendat, vt, quem valdè diligit, magis & magis ſentiat; quatenus, quoniam in deſerto perfectè eum non tenet, vel ipſo eius deſiderio ſe reficiat, vt ſic in viâ roborata, quandoque ad hoc, quod concupiuit, perueniat. *Idem Hom.* 22. *in Ezechielem*: Sancta Eccleſia cùm ab hoc mundo in ſanctis precibus ardenti amore ſe erigit, per deſertum, quod deſerit, aſcẽdit.

Richardus de S. Victore: Dicitur deſertum hic mũdus, vel quia deſeritur, & contemnitur; vel quia ſeipſum deſerit, & in ſe deficit: quotidie enim cum tempore gaudia temporis tranſeunt: & quot dies, tot gaudia dierum prætereunt & deficiunt. * * * Vnde cùm gaudia iſta anima perfectè contemnit, &

ad

ad supernum & verum gaudium tendit, per desertum ascendit.

SICVT VIRGVLA FVMI.] *Theodoretus*: Non immeritò ipsam fumo suffimenti similem dicunt, quæ, vt S. Paulus loquitur, constituit membra sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem: quæque sacrificat assiduè laudis hostiam, & membra sua, quæ sunt super terram, mortificat, & Christo coniuncta est, & offert se ipsam holocaustum Deo.

EX AROMATIBVS MYRRHÆ, THVRIS, ET VNIVERSI PVLVERIS PIGMENTARII.] *S. Gregorius Hom. 22. ad Ezechielem, docens quomodo anima in precibus ascendat, illis quæ paulò antè attulimus addit, modum ascendendi esse*, vt sit sicut virgula fumi ex aromatibus. Fumus de incenso nascitur; sicut per Psalmistam dicitur: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Fumus excutere lacrymas solet: itaque fumus ex aromatibus est compunctio orationis, concepta ex virtutibus amoris. Quæ tamen oratio fumi virgula dicitur; quia dum sola cælestia postulat, secreta progreditur, vt ad terrena atque temporalia appetenda minimè reflectatur. *Et ibidem iterùm:* Myrrhæ & thuris sacrificium offerunt, qui & carnem afficiunt, ne eis corruptionis vitia dominentur; & redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt, seque ipsos Deo in sanctis virtutibus exhibent. *Vide Bedam, Aponium, Philonem, Anselmum, & alios in hunc locum, & S. Bernardum Serm. 59. ex paruis.*

EN LECTVLVM SALOMONIS SEXAGINTA FORTES AMBIVNT.] *Tres Patres apud Theodoretum*: Discipulæ, quæ de magistrâ suâ dubitauerant, quænam esset, nunc de ipsâ dicunt: Ecce lectulum Salomo-

lomonis, in quo quidem Christus Rex pacificus conquiescit, qui nos tum sibi, tum inter nos, tum Patri suo conciliauit. Sexaginta fortes ambiunt; cogitationes nimirum efficaces, quæ diuinâ virtute vndique tuentur animam ad Dei quieté, præparatam aduersus fallacias spirituum immundorum. Ratio enim, quæ quinque sensibus præest, cum ipsis sensibus simul accepta senarium numerum conficit: at cùm diuina præcepta, quæ decem sunt numero, is qui sensibus ratione imperat, perficit, numerum absoluit sexagenarium.

Ex fortissimis Israel.] Hi sunt omnino veræ mentis Deum videntis notiones, ex quibus constant efficaces istæ cogitationes ad bonum peragendum; ambiunt autem animam in quâ Deus requiescit.

Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi.] Cogitationes enim, quæ dictæ sunt, ex contemplationis quidem habitu gladios habent ancipites, quibus ea, quæ sunt contraria, diiudicent: exactionis autem vi vsum atque experientiam obtinent, quomodo possint aduersariæ potestates profligari.

Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.] Singulæ illæ, quas diximus, cogitationes gladium spiritus, quo vitia conciduntur, aduersus concupiscentem animæ potestatem intentant, propter timorem, quem nequissimi dæmones dolis suis animæ obijciunt in noctibus ignorantiæ per impetus cupiditatis animę repugnantes. *Hactenus tres illi apud Theod. Patres.*

Richardus de S. Victore ait, tenere gladios nihil aliud esse, quàm sacram Scripturam memoriâ tenere,

&

& opere implere: quibus gladiis dũ confligunt, ad bella doctissimi fiunt; quia per intelligentiam Scripturæ erudiuntur, & per operationem illuminantur: sicut Psalmista dicit, In intellectibus manuum suarum, id est, per operationem, deduxit illos.

Apposite huic S. Gregorius lib. 19. Moral. c. 16. Salomon non ait, Omnes habentes, sed tenentes gladios; quia videlicet verbum Dei non est mirabile tantùm scire, sed facere: habet quippe, sed non tenet gladium, qui diuinum quidem eloquium nouit, sed secundùm illud viuere negligit: & doctus esse ad bella iam non valet, qui spiritualem, quem habet, gladium minimè exercet. nam resistere tentationibus non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium malè viuendo postponit.

Idem hoc loco: Quid per ensem, nisi rigorem conuersationis; & quid per femur, nisi carnis appetitum accipimus? Electi ergo, quique iam ad perfectionem vitę prouecti sunt, semper ensem super femur suum ferunt: quia rigore conuersationis appetitum carnis assiduè frangunt, ne hostis, quem in nocte huius mundi timent, repentè veniens mollem aditum inueniat; & per voluptatis mollitiem, eò faciliùs, quò voluptuosiores inuenerit, ad grauiora peccata perducat. *Vide etiam paulò ante citatum Richardum de S. Victore hæc ipsa pulchrè deducentem.*

R. Abben Ezra ita: Salomon Rex opus habet multis viris strenuis & fortibus, qui lectum eius custodiant ob timorem nocturnum; ne fortè illius pulchritudine capti latrones rapiant eam. *nempe Sponsam.*

FERCVLVM FECIT SIBI REX SALOMON DE

LIGNIS LIBANI.] *S. Gregorius Nyssenus Hom. 7. docet ferculo hoc significari animam piam sub figurâ lecticæ materiâ & operâ præstantissimæ, vtpote quæ iam non sibi viuat, sed deferat intra se viuentem*
Gal. 2. v. 20. *Sponsum, iuxta illud,* Viuo ego, iam non ego; viuit autem in me Christus. *Et verò totum hunc locum accuratissimè & elegantissimè pertractat Hugo de S. Victore Miscel. lib. 1. titulo 60.* Ferculum Salomonis est cor exercitatum in studio virtutũ ***. Ferculum hoc primùm de lignis Libani esse debet per puritatem & incorruptibilitatem; de argento, in præceptis & promissis; in argenti candore munda conuersatio, in sonoritate dulcis promissio. Habet aurum per sapientiam cælestem, quod non æruginat in æternitate, sed rubet in charitate. Habet purpuram, quando prædicat Passionem, ascensum ad glorificationem. In medio charitas sternitur propter filias Ierusalem, quæ teneris & infirmis proposita est ad obtinendam salutem. Quis tam tener est, vt amare non possit? nam si cetera non potes, at amare tamen potes, vt ad ferculum Salomonis pertineas.

Richardus de S. Victore accipit ferculum hoc de tali, cuius vsus est in conuiuio tantùm; materiam tamen eius, singulasque partes, ferè vt nos: & lignis quidem Libani Cedros notari putat, quorum ligna pulchra sunt, procera, imputribilia, odorifera, à vermibus illæsa; quæ singula aptè sensu tropologico exponit. De columnis inde ita loquitur: Huius animæ quatuor columnæ sunt quatuor virtutes principales, scilicet Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Iustitia. *** Hæ columnæ argenteæ sunt, quia animam, quæ his sustentatur, intus ante Deum, & foris

ris coram hominibus ſplendidam faciunt. Reclinatorium eſt conſcientia pura, in quâ reclinat ſe & requieſcit Chriſtus Dei ſapientia; quæ aurea eſt, quia tribulationis igne excocta & purgata vt aurum, atque probata: quæ enim grata eſt per vitæ innocentiam, gratior & mundior efficitur per tolerantiam aduerſorum, & digna, vt aureum ſit Deo reclinatorium. Aſcenſus purpureus eſt, & rubens: patitur anima talis interdum conuitia & detractiones à malis, qui deuotioni eius inuident, eò quòd bonum non diligunt, nec facere velint; cumque malorum conuitia audit, quamdam perturbationem mens & confuſionem ruboris ab eis accipit. Mediâ charitate conſtrata * * * opera ſunt, quæ & bono & malo animo fieri poſſunt; ſicut ſunt vigilię, ieiunia, eleëmoſynæ, orationes. Iſta debent eſſe cõſtrata charitate, vt ſcilicet ex charitate fiant, & bonâ intentione; & item vt cum charitate fraternâ ita fiant, vt infirmi non ſcandalizentur, vel infirmentur; ſed ſtrata, id eſt, tantâ æqualitate & diſcretione facta, vt incedat anima in his omnibus ſine querelâ.

Rupertus Abbas conſtrâſſe dicit mediâ charitate, propter filias Ieruſalem, id eſt propter fideles animas, quæ ad virilem virtutem & perfectionem adhuc non peruenerunt; vt ſcilicet per hanc charitatem ſuum facere poſſint, quod eſt aliorum, quod eſt virorum, quod eſt perfectiorum, diligendo bonum quod in eis vident, vnde ita infert: Non ſunt carne virgines; ſed bonum virginitatis in te, ô beata Maria, diligendo ſuum faciunt. Non alia præter te genuit Salomonem Regem tam magnificum: ſed illæ, diligendo in te hoc tam grande priuilegium, Regis eiuſdem matres

 fiunt.

fiunt. Item non ſunt Martyres, neque ſufficiunt ipſi fortes prœliari, & pro Rege Salomone fundere ſanguinem ſuum: ſed Martyres diligunt, & diligendo illos gloriam eorum ſuam faciunt. Ampliùs dicam: Non ſunt Dii: ſed diligendo Deum, Dij, vel filij Dei ſunt: ſicut ſcriptum eſt: Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. *Vide S. Gregor. Magnum, Bedam, Anſelmum.*

Egredimini, et videte filiæ Sion Regem Salomonem.] *S. Bernardus Serm. 2. de Epiphaniâ:* Vobis dicimus filiæ Sion, animæ ſæculares, debiles, delicatæ, filiæ, non filij, in quibus nihil eſt fortitudinis, nihil virilis animi. Egredimini filiæ Sion, egredimini de ſenſu carnis ad intellectum mentis, de ſeruitute carnalis concupiſcentiæ ad libertatem ſpiritualis intelligentiæ: egredimini de terrâ veſtrâ, & de domo patris veſtri.

Similiter etiam Richardus de S. Victore cap. 13. Gradiuntur aliqui, ſed non egrediuntur; quia nunc procedunt, nunc retrocedunt; nunc remiſſè, nunc diſtortè incedunt. Interdum etiam aliqui bonis operibus inſiſtunt, & mala etiam committunt: per quamdam enim mentis ignauiam & cæcitatem mala minùs cauent; cùm benè facere ſtudent, non attendentes quòd bona malis admiſta Deo non placent. Item aliqui ad quælibet laborioſa minùs validi ſunt, & puſillanimitate tam corporis quàm ſpiritus grauamen ſuſtinent. Alij nihil difficilius exiſtimant ferè, quàm voluptatibus ſuis reſiſtere, & in tentationibus vel concupiſcentiis delectantur, minùs reſiſtentes paſſionibus ſuis & motibus; qui quantum ſe in minimis ſuperari patiuntur, tantum contra vitia vel tentamenta debiles fiunt, & ad gra-

diendum

diendum & progrediendum inſufficientes. Alij minùs progrediuntur, quia non rectè & diſcretè gradiuntur: in aliquibus tamen bonis operibus minùs vtilibus magis ſe exercent; & in aliis profectui ſuo magis conuenientibus ſe negligunt: laboribus corporis inſiſtunt, & virtutem animæ & pietatem negligunt, cùm corporalis exercitatio ad modicum valeat, & pietas magis neceſſaria ſit, quia valet ad omnia. Item, qui cordis cuſtodiam & circumſpectionem non habent, per hanc negligentiam in multis delinquunt: & item alij circa parua & leuia ſoliciti ſunt valdè, & maiora nec cauent, nec cognoſcunt; qui camelum glutientes, culicem liquant. Hi autem omnes etſi gradiuntur, intra ſe tamen remanent, quia priſtinos mores, & imperfectionem inolitam atque torporem non relinquunt, vt emendati in omnibus, & mundatis cordis oculis egrediantur ad videndum Deum, & Salomonem diademate coronatum.

IN DIADEMATE, QVO CORONAVIT ILLVM MATER SVA.] *Tropologicæ noſtræ expoſitioni finitima eſt ea allegorica, quam S. Gregorius Nyſſenus habet Homil. 7. ita enim loquitur*: Egredimini, inquit ad iuuenculas Sponſa, & filiæ Sion efficiamini, vt de ſublimi ſpeculâ (hoc enim vox Sion ſignificat) ſpectaculum admirandum videre poſſitis, videlicet Sponſum coronâ redimitum. Eſt autem corona huius Eccleſia, quæ Sponſi caput viris & animatis lapidibus vndique circumdat. * * * atque hac ex coronâ voluptatem eum capere ait Sponſa; mirificè gaudentem ornatu illo ſponſalitio: reuerà enim lætitiâ afficitur is, qui Eccleſiam coniugē ſibi fecit, redimitus illorum virtutibus, qui in eâ ſunt eximij.

Aponius lib. 5. Cordis erat lætitiæ dies Domini Chriſti, quando Meretrix lacrymas fundendo, Raptor quadruplo malè direpta reſtituendo, Publicanus relicto telonio, præſentibus lucris contemptis, ſequendo, Latro vociferando, regnum cælorum à ſe longè alienum peruaſiſſe monſtratur: ſic quippe coronatus à matre Pacificus, quæ eum ſecundùm carnem genuit Synagogâ, Rex Chriſtus verus Salomon. Et hæc fuit dies deſponſationis, cordiſque lætitiæ, cùm immaculatus coniungitur maculatis; quatenus ſui corporis & ſanguinis contactu immaculatam efficeret Eccleſiam.

R. Salomon ita habet: Rabbi Nehemias ſcribit, quemdam Simeonem nomine olim fuiſſe percontatum R. Eleazarum filium Ioſue, num à patre intellexiſſet, quæ eſſet ſententia τȣ̃ quâ coronauit eum mater ſua: reſpondiſſe verò R. Eleazarum his verbis: Parabola eſt Regis, cui vnica eſt filia, quamque vnicè diligit, & tanto affectu proſequitur, vt ſuam vocet filiam, quemadmodum dictum eſt, Audi filia, & vide. ſæpè etiam inter oſcula & amplexus ſororem, vt ſcriptum eſt, Aperi mihi ſoror mea, amica mea. Aliquando etiam eam matris dignatur nomi-
Iſaia 51. v.54. ne, vt in Iſaiâ legitur: Attendite ad me, popule mi, & mater mea, auſcultate. illic enim non לאומי ô gens mea; ſed לאמי mater mea ſcribitur. His admoto capite eius oſculo aſſentiri ſe ſignificauit R. Simeon filius Iohai.

SE-

SECTIO III.

Salomonis de Sulamitide iudicium.

TEXTVS, *ex cap.* 4. *verſ.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

[1] QVAM pulchra es Amica mea,
quàm pulchra es! Oculi tui co-
lumbarum, abſque eo quod intrinſe-
cus latet. Capilli tui ſicut greges capra-
rum, quæ aſcenderunt de monte Ga-
laad. [2] Dentes tui ſicut greges tonſa-
rum, quæ aſcenderunt de lauacro, om-
nes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt
inter eas. [3] Sicut vitta coccinea, labia
tua: & eloquium tuum dulce. Sicut
fragmen mali punici, ita genæ tuę, abſ-
que eo quod intrinſecus latet. [4] Sicut
turris Dauid collum tuum, quæ ædifi-
cata eſt cum propugnaculis: mille cly-
pei pendent ex eâ, omnis armatura for-
tium. [5] Duo vbera tua, ſicut duo hin-
nuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in
liliis, [6] donec aſpiret dies, & inclinentur
vmbræ, vadam ad montem myrrhę, &
collem thuris. [7] Tota pulchra es, amica
mea, & macula non eſt in te.

PARAPHRASIS.

MAGNIFICE de me & ſenſerant, & locutæ fuerant filiæ Ieruſalem: verùm quia homines & falli poſſunt, & fallere, pro minimo mihi erat iudicari ab humano die; at diuina mihi teſtimonia multò gratiora erant, & iucundiora. Quare operæ pretium etiam fuerit, quale ſumma illa Sapientia de me iudicium tulerit, etiam referre. Primùm ergo plenâ admirationis interrogatione, QVAM PVLCHRA ES, dicebat, AMICA MEA, QVAM PVLCHRA ES! quaſi diceret: Audiſti comparationes de te varias: ego verò vnum quid, cui te comparem, non inuenio, adeò ſuper omnia illa, quæ in ſenſus incurrunt, excellis; vt neceſſe ſit non vni alicui te ſimilem dicere, ſed varias à variis perfectiones adferre, quæ in te conueniant. Et vt hîc de intentione tuâ primùm loqui incipiam; OCVLI TVI COLVMBARVM, puri, recti, ſimplices, quiq́ue totum corpus lucidum reddant: neutiquam tamen ſtolidi, quod fortè quis ex eo inferat, quòd columbæ ratione careant. Tu enim tua prudentiſſimè dirigis, & diſponis: habes ſimplicitati iſti coniunctam ſerpentis prudentiam, ne eius verſutiâ ad modum Euæ decipiaris. Eſt ergo comparatio iſta non in omnibus

nibus quadrans, ſed ABSQVE EO QVOD INTRINSECVS LATET. Anteà quidem eodem ferè ſenſu genas tuas genis turturis ſimiles eſſe dixi; ſed hoc, de intrinſecus latentibus, non addidi: nam licet eadem ſit in intentione ſimplicitas, ac puritas; tamen prudentia, & circumſpectio in rebus agendis, indies magis magiſque in te accenditur. CAPILLI etiam TVI ſunt SICVT GREGES CAPRARVM, quæ naturâ liberiùs curſitant, & ſaltillant: quia tamen gregatim incedunt, exleges omnino non ſunt; neque pauca habent, quæ in illis commendentur, quippe QVÆ ASCENDERVNT DE MONTE GALAAD, quod aceruũ teſtimonij ſignificat: nã etſi ex vnâ aut alterâ cogitatione non poſſit de ſtatu animi iudicari; vbi tamen circa idem frequentes ſunt, quaſi coaceruatis teſtimoniis non leue indicium ferunt, quorſum anima vergat. Cùm ergo hæ gregatim aſcendere videantur, ſignum eſt, mentem tuam in cælis fixam eſſe; quò reſpicientes viri ſanctimoniâ inſignes, ſemper cogitationes ſuas circa res ſublimes ac cæleſtes ſtudent occupatas tenere. DENTES TVI, linguæ ſepimentum, quibus tacendi recteque loquendi ſcientia ſignificatur, ſunt SICVT GREGES TONSARVM ouium, capreis quidem magis cicures, modeſtiuſque incedentes; maiorem enim conſideratio-

nem

nem par eſt in verbis quàm in cogitationibus reperiri. In his ouibus nihil eſt ſuperflui, eò quòd tonſæ ſunt; nihil fœdi aut immundi, eò quòd ASCENDERVNT DE LAVACRO; nihil denique inutile aut ineptum, quia OMNES ſunt GEMELLIS FOETIBVS, ET STERILIS NON EST INTER EAS, vt ſermo tuus ab otiosâ locutione ſit remotiſſimus. Inſuper ſunt SICVT VITTA COCCINEA, LABIA TVA: ſiue enim mecum loqueris, (neque enim labiorũ mihi laus parum grata eſt,) ſiue de me cum aliis ſermones miſces, omnia verba tua igneum quid & inflammatum ſpirant: ſed nihilominùs blanda ac mitia ſunt: etenim vt coccineus color ardorem affectus, quo verba promuntur, ſignificat; ita vittæ mollicies omnem illis duritiem tollit: quo fit, vt de rebus piis & ſpiritualibus loquens, ab omnibus libenter & cum fructu audiaris: etenim ELOQVIVM TVM DVLCE eſt. Sunt etiam SICVT FRAGMEN MALI PVNICI, ITA GENÆ TVÆ: in quarum puniceo rubore verecundia eluceſcit; quæ in genis, id eſt tuâ mecũ conuerſatione, egregiè inflammatur. Adde, quòd robur illc in virginali verecundiâ amoris ferè indicium eſt. Neque hîc etiam ſcrupulum facere debet, quòd ſuauiter rubentia malorum punicorum grana cor durum & ſaxeum habere ſolent, quod à Sulamiti-

mitide meâ quàm longiſſimè abeſt. nam & hæc comparatio, non minùs quàm illa ſuperior, de oculis columbinis eſt ABSQVE EO QVOD INTRINSECVS LATET. aliàs enim blanda & in ſpeciem tantùm amicabilitas in ſimulationem & hypocriſim deſineret. Aduertendum verò, illa intrinſecus latentia tum in oculis tum in malis punicis ſignificare partim magnas intellectus illuſtrationes, partim affectus ardentiſſimam inflammationem; quæ duo nullâ poſſunt comparatione explicari: quare in omni illâ ſimilitudine excipi videtur. Eſt porrò SICVT TVRRIS DAVID COLLVM TVVM, QVÆ ÆDIFICATA EST CVM PROPVGNACVLIS: id eſt, contemplatio tua alta & excelſa adeò eſt, vt cælum quaſi de propinquo intueri videaris, & ea quæ in terris geruntur, eminus tamquam è ſpeculâ proſpicere. Prætereà ſtructuræ munimine eſt inſignis, vt in propugnaculum eſſe poſſit. MILLE CLYPEI PENDENT EX EA, OMNIS ARMATVRA FORTIVM: quandoquidem omnes, qui ante te in hoc eodem bello, in quo tu nunc verſaris, fortiter debellarunt, in contemplationis exercitio, velut in inſtructiſſimo armamentario, & arma ſibi repoſita habuerunt, & ibidem quodammodò ſibi vires compararunt. Quia verò turris & propugnaculum non ſibi tantùm,

tùm, ſed vniuerſæ vrbi & cõmunitati ſeruire ſolet; hac oratione tacitè innuere videbatur Rex, ſe paulò pòſt operâ etiam meâ ad aliorum defenſionem vti conſtituiſſe: quod ſequentibus ſtatim verbis clariùs indicabat: DVO VBERA TVA, dicebat, SICVT DVO HINNVLI CAPREÆ GEMELLI ſunt, vt iam aliis etiam præſtare poſſint nutricatum: & ſiniſtrum quidem vber, quod cordi vicinius eſt, orationi; dexterum verò (nam dextræ partes actioni magis opportunæ ſunt) operationi congruit. Hæc autem vbera hinnulis capreæ comparo, propter illius animantis viuacitatem & alacritatem: gemellis autem, quia ſe mutuò amare videntur, & iuuare. Habes intra te non paruam in agendo dexteritatem; quam, tamquam talentum tibi creditum, nolim terræ infodias, ſed potiùs velim illud in multorum vtilitatem diligenter exerceas. Hinnuli autem iſti neutiquam vulgares ſunt, ſed PASCVNTVR IN LILIIS, DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTVR ac fugiant VMBRÆ. Quaſi non contenta ſis totos dies ſanctæ operationi impẽdere, totas etiam ferè noctes, vſque dum aurora vmbras fuget, orationi tribuis. Iuuat autẽ, quòd aliorum Sanctorum res benè geſtæ, iam anteà liliis comparatæ, tibi quaſi in paſcua cedant, dum ex eis non minùs vtiliter quàm iucundè paſceris

ris. Agnoui nõ difficulter quorſum tenderet Dilectus meus: quare vt me ad nutum eius promptam expeditamq́; oſtenderem, Graue mihi durumque fore ſcio, dicebã, Dilectiſſime, quòd ad noua & hactenus mihi inuſitata reuocare videris. Ego tamen auctoritatem tuam non ſubterfugiam; quin amara omnia, quæ propinari mihi à manu tuâ poſſunt, libens volensque ab eadem ſuſcipiam. VADAM itaque AD MONTEM MYRRHÆ, neque calicem detrectabo: at quia nihil mihi de me poſſum polliceri ſine ope tuâ, diligentiùs etiam, quàm hactenus, preces cumulabo, ad auxilium gratiæ tuæ implorandum. Ibo itaque ſimul ET AD COLLEM THVRIS: vt, quemadmodum nuper in monte Bether mihi te propitium reddere conabar, ita iam quoque cùm noua iterùm difficultas ſubeunda venit, eumdem te mihi adiutorem efficiam. Illud tamen non fruſtrà, quòd myrrhæ mortificationis montem, thuri verò orationis collem dedi; vt vtrumque quidem ſanctum, tibique Sponſo meo perplacens eſſe oſtendam: ſi tamen alteri eorum plus tribuendum ſit, id mortificationi meritò concedatur. Tum Rex: Age ergo quod promittis. Nihil meæ tibi beneficentiæ defuerit: ſcias interim, id quod iam à te requiritur, aliarum animarum ſalutem & perfectionem

reſpi-

reſpicere: nam quod ad te ſpectat,tu iam TOTA PVLCHRA ES, AMICA MEA, ET MACVLA NON EST IN TE. Quod ſi eâdem curâ ac diligentiâ,eò quò iam vocaris, intenderis, neutiquam profectò inanem ſpem de te concepero.

NOTÆ.

QVAM PVLCHRA ES, AMICA MEA, QVAM PVLCHRA ES!] *Rupertus Abbas ad hanc exclamationem appoſitè etiam ipſe exclamat:* O pulchritudo admirabilis! quam ſic admiratur & collaudat pulcherrimus auctor ipſe pulchritudinis. *& S. Iuſtus Orgelitanus,* Repetitio, *inquit*, ſermonis commendat pulchritudinem, quam laudat.

OCVLI TVI COLVMBARVM.] *S. Gregorius:* Valdè honeſtum eſt, quidquid in exterioribus operatur, quòd ſimpliciter inter homines conuerſatur, quia ea quæ videt, temporaliter concupiſcere dedignatur; & ſi quid tamen in hoc mundo placet, poſt concupiſcentias ſuas ire deteſtatur: ſed vehementer pulchrius & honeſtius eſt, quòd cordis deſiderium illibatum retinere conatur, quòd æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet, erecta contemplatur; quòd in his, quæ interiùs videt, ſuauiter requieſcit, & mundatur.

Rupertus Abbas iam citatus ſeptē proprietates columbarum enumerat. Hæc auicula, *inquit*, primùm ſine felle eſt, deinde nihil viuum comedit, pullos alienos nutrit, grana ſemper candidiora colligit, in petris nidificat, gemitum pro cantu habet, libenter iuxta fluenta reſidet, vt venientem accipitrē ex vmbrâ præcognitum effugiat perniciter. *Hæc*

deinde

deinde omnia Beatissimæ Virgini piè eleganterque applicat: quæ tamen ipsa cuiuis etiam animæ piæ egregie possunt accommodari.

ABSQVE EO QVOD INTRINSECVS LATET.] *Philo Carpathius ad hunc modum*: Magna laus est, honestè foris inter homines conuersari, & coram proximis bonorum operum lucis exempla monstrare, vnde speciosa appellatur à Sponso: sed maxima prorsus laus & commendatio est Ecclesiæ, & fidelis cuiusque animæ, cordis arcana sanctissimè custodire, eaque illibata & sincera retinere, depulsis omnibus illecebris voluptatum, & desiderio rerum humanarum longissimè abdicato, solaque cælestia contemplari animo, mente capere, cogitatione complecti: nec aliud meditari ac velle, quàm diu huic carceri teterrimo inclusi sumus, quàm soli Deo Opt. Max. interno animi desiderio semper inhærere, eique aliquando in sempiternum coniungi velle: idque quàm celerrimè, & quàm optimè fieri velit ipse, cuius arbitrio & huc demissi, & hinc omnino discessuri sumus.

Breuiùs S. Iustus Orgelitanus: Simplicitas spiritualium plurimùm veneranda, quia se nec extollere nouerunt, & consciâ puritate magis Deo quàm hominibus placere contendunt. *Videri etiam potest Aponius lib. 6.*

CAPILLI TVI SICVT GREGES CAPRARVM, QVÆ ASCENDERVNT DE MONTE GALAAD.] *Venerabilis Beda lib. 3.* Capreæ & munda sunt animalia, & ardua rupium siue arborum solent quærendi pabuli gratiâ scandere: quia nimirum cogitationes electorum etsi terrena agunt, nihilo minùs cælestia intendunt; & cùm etiam carnis sustentandæ curam

gerunt, erga animæ potiùs sospitatem, ac supernam refectionem aciem mentis dirigunt.

DENTES TVI SICVT GREGES TONSARVM.] *S. Gregorius Magnus, Beda, Richardus, & alij volunt dentibus significari prædicatores, eosque qui alios docent: quapropter in sensu tropologico accommodatè satis ad eorum mentem per dentes sermones pij & documenta sancta intelliguntur; quibus illa, quæ de gregibus tonsarum ouium, deque gemellis fœtibus dicta sunt, benè conueniunt.*

SICVT VITTA COCCINEA, LABIA TVA.] *S. Gregorius etiam hîc de prædicatoribus. Adducam tamen eius verba:* Prædicatores labia Ecclesiæ dicuntur, quia nimirum per eos populis præcepta vitæ loquitur; quæ benè sicut vitta dicuntur, quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prędicationibus restringunt, quasi sparsos crines, ne immoderatè diffluant, reprimunt. Sed quid est, quòd non tantùm vittæ, sed coccineæ comparantur? nisi quia per coccum flamma charitatis intelligitur, quâ illi ardent, & per illos alij accenduntur; per quos elogium sanctæ Ecclesiæ dulcoratur; quia dum quæ dicunt faciunt, prædicationes suas hominibus quasi sapidas escas apponunt.

Richardus de S. Victore etiam clariùs idem quod nos: Sicut vitta constringit crines, ne dissolutè diffluant; ita deuota anima labia sua ligat & cohibet, ne mala vel inutilia loquātur, & in perniciem propriam vel aliorum diffluant & dissoluantur. *Plura etiam circa hanc rem statuit, quæ his verbis tandem concludit:* Per oris custodiam seruat cordis munditiam, & ex cordis mūditiâ foris format verba. *Nota autem, & dentes & labia esse quasi sepimenta linguæ*

gua, proinde mirum non esse, si vtrumque de sermocinatione accipiatur: in dentibus tamen potiùs cautela & discretio rerum proferendarum, in labiis feruor & efficacitas cum suauitate elocutionis potiùs constituenda videntur; quod vltimum etiam ex ipso Sacro textu roborari posse videtur, dum dicitur, Eloquium tuum dulce.

SICVT FRAGMEN MALI PVNICI, ITA GENÆ TVÆ.] *Psellus dicit hîc commendari animam à genis, in quibus vultus elegantia purpureo modestiæ decore venustatur.* Vt taceam, *inquit*, silentij decus animæ tuæ: hæc enim extrinsecus quidem iucundum spectaculum præbent, intus autem præstantiam continent singularem.

Similiter & Theodoretus: Significat genis (*cortici mali punici comparatis*) Sponsæ ruborem illi insitum ex verecundiâ, propter quam tempestiuâ vtitur taciturnitate, celans opportunè arcanas mysteriorum rationes, quemadmodum cortex mali punici grana contegit. *Tres Patres per genas exponunt conuersationem, & congressus, mutuasque cum aliis sermocinationes. S. Greg. Nyssenus Hom. 7. notat, inter eas virtutes quæ forinsecus patent, castitatem & verecundiam excellere; at præter eas quasdam alias esse quæ in animo latent, soli Deo conspicuæ. Anselmus,* absque eo quod intrinsecus latet, *de intentione accipit.*

SICVT TVRRIS DAVID COLLVM TVVM.] *Tres Patres apud Theodoretum:* Turris Dauid est interior mentis tuæ tum actione tum contemplatione maximè præstantis ratio, quæ per virtutem diuinis mandatis ædificata est super propugnacula, id est super aduersarij tentationes: tollitur autem per

ſcientiam in altitudinem ſpiritalis contemplationis. Dauid enim ſignificat manu ſtrenuus, & acer viſu: collum autem eſt ratio. * * * Vnde ex iis quæ dicta ſunt, patet, Sponſæ rationem actione quidem hoſtis conſilia ſuperare, contemplatione verò tolli ad veræ cognitionis ſublimitatem.

Theodoretus: Quemadmodum turris à Dauid ædificata ſuperat propugnacula, quibus conſtructa eſt, ſublimiſque extat atque conſpicua; ita collum tuum excelſum eſt & ſublime, altaque conſpicit & contemplatur: neq; enim brutorum more pronum in terram deſpicit, neque in ventrem vergens ſues imitatur; ſed erectum, atque arduum eſt, & mille clypeos gerit, & omnia fortium iacula.

MILLE CLYPEI PENDENT EX EA, OMNIS ARMATVRA FORTIVM.] *Idem:* Habet collum tuum, quod caput tuum & faciem ſuſtinet, omnes aliorum doctrinas, quibus tamquam iaculis cunctos aduerſarios transfigis Habet item clypeos multos, quibus protegeris, & ignita hoſtis tela extinguis. Munita enim es ſpiritus armaturâ, & facilè hoſtes vulneras, cùm omnibus fortium ſagittis abundes, eoſque modò per Prophetas, modò per Apoſtolos redarguis, modò ipſorum retegis imbecillitatem.

Richardus de S.Vict. Clypei ſunt virtutes, quibus contrà tentamenta defendimur. Per millenarium verò earumdem perfectio deſignatur.

Tres item Patres hîc: Actiones decies diuina præcepta multiplicantes, quæ rurſus per legem naturalem decies multiplicatæ, numerum explent millenarium, & tamquam clypei, quibus ab hoſtis ſagittis inuulnerabilis conſeruaris, ab eâ parte, quę in te eſt ratione prædita, tamquam è collo dependent

dent: per hanc enim anima quærit bonam Dei voluntatem, ac parti quidem concupiſcenti perſuadet, vt eam deſideret; iraſcenti verò, vt pro illâ depugnet, & ex rationis præſcripto ad bonum diiudicandum vtatur; loquendi autem facultatem adhibeat ad ipſum promulgandum, gignendi verò vim ad idem adaugendum. Ex decem his facultatibus, nempe rationali, concupiſcibili, iraſcibili, quinque ſenſibus, pronuntiandi, gignendique vi, conſtat lex naturalis, quæ ad bonum peragendum decem diuinis præceptis id illi ſuggerentibus adiuuantur. Atque hæc quidem decem præcepta, quæ lege ſcriptâ comprehenduntur, dum ea ipſa factis exequitur, decies multiplicans lex naturalis numerum centenarium abſoluit. Actiones iterùm per ſubiectas ipſis decem facultates decies multiplicando millenarium implent. * * * * Neque verò clypei tantùm pendent ſuper eam, verùm etiam omnia fortium iacula; quæ quidem ſunt diſciplinæ à ſanctis & cæleſtibus virtutibus Sponſæ per contemplationem ſubminiſtratæ: quæ contra ſpiritus nequitiæ tamquam iacula conijciuntur, ad eorum machinationes, aduerſus Sponſam inſtructas, euertendas.

DVO VBERA TVA SICVT DVO HINNVLI CAPREÆ GEMELLI.] *Theodoretus*: Per vbera rurſus doctrinæ fontes accipiamus, qui ſingulis ætatibus congruentia ſubminiſtrent, aliis quidem lac, aliis autem ſolidum cibum. Idcircò hinnulis capreæ vbera Sponſæ dicit eſſe ſimilia, acutè intuendi & contemplandi eorum vim admirans.

Richardus de S. Victore: Non habet hæc vbera anima adhuc carnalis, donec creſcat in gratiâ, &

ſanguinem carnalitatis conuertat in lac deuotionis: cùm verò in gratiâ creuerit,& lac conceperit; tunc mater fit,lactat teneros, conſolatur deſolatos; contumeliis pulſata vel iniuriis affecta,patientiæ & cõpaſſionis lac fundit, non ſanguinem carnalis commotionis. * * * Quia anima perfecta deſuper accipit gratiam, quã aliis refundit, & ſic ipſa quoq; lactatur. Meritò hinnulis comparatur,qui ad lac currunt,alta petunt: ſugit enim, vnde & ipſa creſcat, & alios reficiat. Duo hinnuli, ſunt actiui & contemplatiui. (*cur non tropologico ſenſu actiones & contemplationes?*)qui vtique ad lac gratiæ currere non ceſſant * * * gemelli, quia eâdem doctrinâ reficiuntur, & vtrique ſicut gemelli nutriuntur eodem lacte.

QVI PASCVNTVR IN LILIIS, DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTVR VMBRÆ.] *Idem:* Per lilia, quæ nitent,& odorem habent,munditiam benè viuentium,& odorem virtutum accipimus:inter quæ paſcuntur hi gemelli; quia in munditie bonorum, & bono odore conuerſantium delectantur.

Theodoretus putat hinnulos nominari ob imperfectionem cognitionis,quæ in præſenti habetur,& perficietur in futurâ. addit inde: Paſcuntur inter lilia, quia herbam odoriferam,id eſt,ſpiritus doctrinam percipiunt. * * * Eos,qui ſunt facti digni, vt ſint ſpiritus flores, vbera ſponſæ, ex quibus doctrinæ latices fluunt, paſcunt & nutriunt; donec aſpiret dies,& æſtus, hoc eſt, vitæ labores deſinant: & inclinentur vmbræ, id eſt negotia præſentia, quæ vmbris, vt dictum eſt,comparátur,finem habeant.

VADAM AD MONTEM MYRRHÆ, ET COLLEM THVRIS.] *Montem myrrhæ explicat S. Gregorius alti-*

altitudinem mortificationis; collem vero thuris, altam humilitatem orationis: cùm verò vbiuis obuium sit, in myrrhâ amaritiem, in thure animi in Deum eleuationem significari, non est cur hîc hæreamus.

TOTA PVLCHRA ES AMICA MEA, ET MACVLA NON EST IN TE.] *S. Ambrosius lib. 1. de Virginibus:* Pulchritudinem quis maiorem æstimare possit decore eius, quæ amatur à Rege, probatur à Iudice, dedicatur Dominò, consecratur Deo, semper Spōsa, semper innupta: vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor. Hæc profectò vera pulchritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire à Domino, Tota es formosa Proxima mea, & reprehensio non est in te.

S. Gregorius pulchritudinem hanc in animâ esse dicit, dum sancta anima à peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lacrymis abluit, & à maioribus se obseruat: quamuis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiam suam assiduè seruat. Hinc enim alibi præcipitur: Semper sint vestimenta tua candida. & illud, Iustus autem ex fide viuit. Quamuis enim mox, vt peccat, à iustitiâ deuiet: tamen dum semper credit in eum qui iustificat impium, & assiduè sub eius fide peccata sua deflet, per assiduam ablutionem iustitiam suam retinet.

Eccli. 9. v. 8.

Rom. 1. v. 17. & alibi.

Anselmus explicat pulchritudinem hanc & puritatem ab omni maculâ, de culpâ criminali, à qua sanctiores animæ vacare solent.

PARS III.

De ſtatu illarum animarum, quæ aliis præſunt.

SECTIO PRIMA.

Sulamitis vocatur ad curam animarum.

TEXTVS, *ex cap.* 4. *verſ.* 8. 9. 10. 11.

8 VENI de Libano Sponſa
mea, veni de Libano, ve-
ni: coronaberis de capite
Amana, de vertice Sanir
& Hermon, de cubilibus leonum, de
montibus pardorum. 9 Vulneraſti cor
meum ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor
meum in vno oculorum tuorum, & in
vno crine colli tui. 10 Quàm pulchræ
ſunt mammæ tuæ ſoror mea Sponſa!
pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor
vnguentorum tuorum ſuper omnia
aromata. 11 Fauus diſtillans labia tua
Sponſa, mel & lac ſub linguâ tuâ: &
odor veſtimentorum tuorum ſicut o-
dor thuris.

PA-

PARAPHRASIS.

PERGEBAT Rex: Non indecorè hactenus commorata es in Libano, Amica mea, id est in alto candidoque (id enim Libani nomen significat) atque frugifero monte, tibi soli mihique in precibus, quæ ad modum thuris indies ad me ascenderunt, non paruo cum fructu vacasti: At nunc sanè VENI DE LIBANO, SPONSA MEA. Nouo Sponsæ titulo, eoque hactenus ex me tibi non audito, te appello: nam nouo iam te muneri destino, vtpote quam nouo mihi constitui modo desponsare. VENI, inquam, DE LIBANO, & istam tuam tibi adeò dulcem solitudinem paulisper relinque, ac in mei gratiam nouæ te militiæ para, ex quâ nouas victorias, nouosque tibi referas triumphos. Iterùm dico, VENI, non paruâ spe boni consequendi illecta, CORONABERIS DE CAPITE AMANA, DE VERTICE SANIR ET HERMON: certam tibi de hostibus fortissimis ferocissimisque victoriam, modò audere audeas, poteris polliceri. Triumphabis de infidelitate, siue gẽtili siue hæreticâ, superatâ; & flumina mõtesque infidelium auxilio meo tuis viribus debellata, insignia tua egregiis titulis decorabunt. Quin & DE CVBILIBVS LEONVM, ET

MONTIBVS PARDORVM, id est, de peccatorum hominumque flagitiosorum stabulis euersis coronaberis. Hactenus quidem VVLNERASTI COR MEVM, SOROR MEA SPONSA. Ecce iterùm aliud inusitatum sororis nomen, vocationi nouæ, cui iam applicaberis, apprimè conueniens: etenim mecum in iis, quæ Patris mei sunt, quasi cum fratre soror occupaberis. Tu itaque & Sponsa mea, & soror, VVLNERASTI COR MEVM IN VNO OCVLORVM TVORVM, quo hactenus me solum, & extra me nihil spectasti; at iam opus est, alterum etiam oculum aperias, qui proximum respiciat, vt nouo iterùm amoris me vulnere ferias; neque enim quidquam mihi euenire potest optatius, quàm talibus iaculis vulnerari. Vulnerasti quidem hactenus me IN VNO CRINE COLLI TVI, cùm omnis tua cogitatio eò spectaret, quî collũ tuum, id est contemplationẽ, & cęleste desiderium tuum, excoleres. Sed iam aliud est, quod in te commendo, quodque à te etiam curari desidero. Anteà cũ admiratione exclamabũdus interrogaui, QVAM PVLCHRA ES, AMICA MEA! sic iam eodẽ modo quęro: QVAM PVLCHRÆ SVNT MAMMÆ TVÆ, SOROR MEA SPONSA! vt intelligas, pascendi lactandiq; alias animas studium, omnem illam, quæ quidem maxima fuit, laudem duplicaturum. Et ne vllum

tibi

tibi excuſationi locum relinquam, vtar verbis tuis, tuaque in te dicta regeram: PVLCHRIORA SVNT VBERA TVA VINO, non tantùm terrenæ oblectationis, de quo tu initio conuerſionis tuæ loquebaris; ſed & ſanctę contemplationis: nam in iſtâ vocatione gratum mihi interdum erit, me propter me deſeri; quò iuuabit, vt cogites multos nunc in eodem periculo & fortaſſis etiam maiori hærere, eo in quo tu eras, cùm iiſdem ferè verbis materna mea vbera implorares. Sed & aduerte non pauca in te eſſe, quæ plurimùm hac in re proſint: nam ODOR VNGVENTORVM TVORVM, id eſt exiſtimatio tui, quæ ſe longè lateque diffundit, SVPER OMNIA AROMATA eſt; vt pluris æſtimetur, quàm multæ, quæ in aliis notantur, virtutes morales. Plurimùm autem conducit ad animarum conuerſionem, ſi diſcipuli & auditores de Doctore ſuo altè præclareque ſentiant. Deinde in exhortando ineſt tibi non parua perſuaſionis gratia, ita vt ſint FAVVS DISTILLANS LABIA TVA, & melliflua ex te orationis dulcedo diſtillet, quæ tamen non inferiorem delectatione vtilitatem conferat audientibus. vnde etiam dixerim, MEL ET LAC SVB LINGVA TVA eſſe: quorum illud guſtui, hoc nutritioni optimè conuenit. Vtile itaque dulci (quod omni cenſurâ commen-

mendari ſolet) egregiè commiſces: quæ ita ex te procedunt, vt etiam ſub tuâ tibi ipſi linguâ adſeruari videantur. Ita vt in verbis & documentis nihil aliud ſpires, quàm quod vita ipſa tua profitetur. Deinde ne queraris orationis tempus tibi nonnihil acciſum iri; noueris quòd ODOR VESTIMENTORVM TVORVM, id eſt conuerſatio externa pia & religioſa, quâ proximis quaſi bono exemplo præibis, accepta ſit mihi, SICVT ODOR THVRIS, vt omnia illa pietatis exercitia iſto lucro probè intelligas compenſanda.

NOTÆ.

VENI DE LIBANO SPONSA MEA, VENI DE LIBANO, VENI.] *Beda notat, ter repetitam vocem* Veni, *vt ſignificetur Sponſam hic inuitari ad profectum in cogitationibus, verbis, & operibus. S. Gregorius Magnus id ad fidem, ſpem, & charitatem refert. Tertullianus lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 11. *per* Libanum *intelligit* thus; *id enim Græcè dicitur* λίβανος: *illa autem expoſitio nobiſcum benè quadrabit, quòd communi expoſitione thus orationis ſymbolum ſit.*

CORONABERIS DE CAPITE AMANA, DE VERTICE SANIR ET HERMON.] *S. Gregorius vult per* Amana, Sanir, *&* Hermon *ſignificari Principes nobiles & potentes; de quibus triumphus ducitur, cùm Sulamitidis monitu & inſtigatione ſuaue Chriſti iugum ſuſcipiunt, & ſpe æternæ beatitudinis temporalia contemnunt.*

De

DE CVBILIBVS LEONVM, ET MONTIBVS PARDORVM.] *His apud eumdem peccatores significãtur, in quorum mentibus dæmones & vitia stabulantur. Leonibus autem, crudeles & manifestè noxios; pardis verò, qui variâ cute sunt, hypocritas intelligit, qui suorum peccatorum fœditates externis quibusdam virtutum schematibus tegere contendunt.*

VVLNERASTI COR MEVM, SOROR MEA SPONSA, &c.] *Tres Patres apud Theodoretum:* In tui desiderium inflammasti, tum in vno oculorum tuorum, mente scilicet tuâ, quâ res intuens intelligibiles, me veritatem, & omnium intelligibilium fontem, cognitione perpetuâ contemplaris; tum in vnâ torque colli tui (*ita enim legunt*) ratione videlicet tuâ, quâ tu veluti ornamento colli decorata, in cunctis actionibus me summum bonum, & finem omnium sequeris, & reipsâ benignitatem meam experiris.

S. Hieronymus lib. 1. *contra Iouinianum paulò post medium:* Ne putaremus Sponsum amorem carnis & nuptias significare corporeas, ilicò excludit hunc sensum, & ait: Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa; vbi per nomen sororis suspicio omnis fœdi amoris excluditur.

QVAM PVLCHRÆ SVNT MAMMÆ TVÆ, SOROR MEA SPONSA!] *Beda aliam rationem adfert cur ista anima vocetur soror, & magis nobiscum facit. ait enim:* Rectè talem animam (*proximis erudiendis vacantem*) sororem sibi & Sponsam Dominus esse testatur; quia nimirum suâ eam dilectione & amore dignissimam indicat, quam sui operis imitatricem esse considerat. Nam ipse, vt nos de infirmis fortes faceret, infirmari ad tempus, imò & mori,

mori, vt nos viueremus, non refugit. Ipse cùm esset panis Angelorum in Diuinitate, lactescere voluit per assumptionem carnis, vt hominum pusillanimitatem nutriret, ac panis eiusdem cælestis exhiberet capacem.

Gilbertus, qui S. Bernardi Sermones prosecutus est, Serm. 31. Purus oculus, *inquit*, & pulchrę mãmæ; ille Sponso, hæ filiis Sponsi: ille vnus dicitur, hæ plures; quia varia debet esse vberum temperatura pro sugentium qualitate diuersâ. Vide quomodo Paulus Iudæis factus sit Iudæus; his qui sine lege essent, quasi & ipse sine lege esset; infirmis infirmus: nónne velút tot applicat discipulis vbera, qui in se tot transformat genera?

PVLCHRIORA SVNT VBERA TVA VINO.] *Richardus de S. Victore:* Meritò pulchra prędicantur & commendantur vbera in Sponsâ: quia per hoc ad Dei similitudinem tantùm proficit, cui proprium est misereri & parcere, quantum ipsa nouit perfectè compati & subuenire.

ET ODOR VNGVENTORVM TVORVM SVPRA OMNIA AROMATA.] *Idem prosequitur:* Huius suauitatis fragrantia & vnctionis spiritualis, quâ tam benignè afficitur ad omnes, condolet, gemit, orat, & subuenire cupit, in naribus superni Sponsi suauiùs omnium virtutum operibus redolet, & placere cognoscitur. *hactenus ille.*

FAVVS DISTILLANS LABIA TVA SPONSA.] *S. Gregorius hic:* Prædicatores Ecclesiæ benè labia Sponsæ dicuntur, quia per eos populis loquitur, & per eos ad fidem paruuli quique erudiuntur, dum per eos occultæ Scripturę quasi cordis latentia manifestantur. In fauo mel latet, & cera videtur.

Rectè ergo labia Sponsæ fauus vocantur; quia dum in carnis fragilitate sapientia magna habetur, quasi mel in cerâ absconditur. Quando verò electus quisque prædicat, quando cælestia gaudia nescientibus reuelat, tunc fauus distillat; quia quanta sapientia in corde lateat, per oris fragilitatem audientibus manifestat: vnde scriptum est: Habemus thesaurum in vasis fictilibus.

Non dissimilia his videre est apud Philonem, cui multa ex suis S. Gregorius debere videtur; nisi verum sit, quod Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis suspicatur, ea ex Gregorio in Philonem à quopiam alio fuisse transscripta.

S. Ambrosius Serm. 14. *in Psalm.* 118. Fauum distillant labia tua Sponsa, mel & lac sub linguâ tuâ: os enim iusti distillat sapientiam, & de ore iusti suauitatis & misericordiæ mella procedunt: in ore iusti nullus dolus, nulla fallacia, nulla est amaritudo peccati. *Vide ibidem plura in eumdem sensum.*

S. Gregorius hîc: Falsi prædicatores mel in linguâ portant, quod sub linguâ non habent; quia cælestia gaudia aliquando prædicant, cùm ipsi terrestria bona totis desideriis appetant: sancta verò mens mel in linguâ prætendit; quia sapiētiæ dulcedinem loquendo, ostendit quam veraciter prædicans, audientes tamquā mellis dulcedine reficit. Lac gerit, quia congruenti sibi doctrinâ paruulos quosque in Ecclesiâ nutrit. Sub linguâ autem hæc omnia sibi reseruat, quia internam dulcedinem assiduè secum portat: dum enim terrena abijcit, dum vitiorum amaritudinem respuit, in interioribus sensibus sapientiæ dulcedine se pascit, quâ robur colligit, vt ad æterna gradiens, in labore viæ lassescere non possit.

possit. *Eadē eisdem ferè verbis habet Philo Carpath.*

ODOR VESTIMENTORVM TVORVM SICVT ODOR THVRIS.] *S. Gregorius Magnus:* Quid per vestimenta hęc nisi sancta opera designantur? *** Thus verò per significationem pro oratione ponitur, **** Benè igitur odor vestimentorum eius sicut thuris esse perhibetur: quia in omnibus operibus orat, dum perueniendi intentione, ea quæ potest bona operatur. *Et hæc ferè ad verbum eadem habentur apud Philonem.*

SECTIO II.

Sulamitis docetur, quidnam hic status à se exigat.

TEXTVS, *ex cap.*4.*vers.*12.13.14.15.16.

12 HORTVS conclusus, soror mea
Sponsa, hortus conclusus, fons
signatus. 13 Emissiones tuæ paradisus
malorum punicorum cum pomorum
fructibus. Cypri cum nardo, 14 nardus
& crocus, fistula & cinnamomum cum
vniuersis lignis Libani, myrrha & aloë
cum omnibus primis vnguētis. 15 Fons
hortorum; puteus aquarum viuentium,
quæ fluunt impetu de Libano. 16 Surge
Aquilo, & veni Auster, perfla hortum
meum, & fluant aromata illius.

PA-

PARAPHRASIS.

HINC cœpit Dilectus meus mihi modum docere, quomodo in isto statu ipsi essem placitura; itaque in oratione suâ perrexit: Vt intelligas, Sulamitis, quidnam tibi hac in re gerendum sit, duplicem tibi noueris curam imponi. Altera est, vt sis HORTVS CONCLVSVS SOROR MEA SPONSA, HORTVS, inquam, CONCLVSVS. Itero illud, ne vmquam putes tantam tibi suscipiendam proximorum curam, vt prorsus te negligas. Altera est, vt sis FONS SIGNATVS, vt in posterum noueris tibi proximorum curam etiam capessendam esse. Horum singula vt paulò planiùs pleniusque intelligas: quod ad hortum spectat; EMISSIONES TVÆ, id est quidquid ex te proueniet, sit PARADISVS MALORVM PVNICORVM CVM POMORVM FRVCTIBVS. Paradisi nomine aliquid communi horto augustius ferè solet significari. Quòd si ergo aliquid ex te, te ipsâ præstátius videris prouenire; caue inuidiæ stimulos admittas, sed potiùs ex eo auxilium gratię meæ agnosce. In malis autem punicis præclarè vitæ Monasticæ ac Religiosæ figura inuenitur. Etenim exterior cortex clausuram benè denotat; non quidem inuenusti coloris, sed qui

longè ei,qui intus recluditur,cedit. Coronula in vertice veneratio eſt, quâ boni ſtatum hunc proſequuntur. Granorum arcta coniunctio, fraternam charitatem denotat; ſingula grana diſtinguens membranula, ſilentium, & cellulæ ſecretum, ac ſui cuſtodiam. Saporis dulcedine innuitur lætitia ſpiritus; ardenti colore, diuini amoris flamma, quæ inibi exardeſcit. Vinum granatorum ſignificat ſanctam ebrietatem, longè ab eà diuerſam,in quâ ſtimuli luxurię inueniuntur;cùm hæc, licet mundo ſtulta, ſapiens tamen ſit Deo. Hic ergo tibi paradiſus, Amica mea, diligenter excolendus eſt. Sed & alia virtutum germina in animo tuo prouenіant opus eſt. creſcant ibi CYPRI CVM NARDO; & bonæ ædificationis odor cum depreſſione ac contemptu ſui coniungatur, ne excellentia in tumorem tranſeat. Sint ET NARDVS ET CROCVS coniuncti, ne humilitas in contemptum recidat: animarum enim Moderator ita ſe ſubmittere debet, ne tamen à ſubditis contemnatur;vt illi aureus croci color ornatum addat, & excitet venerationem. Adſint & FISTVLA ET CINNAMOMVM magnæ ambo dulcedinis aromata; vt ſi aſperitas vitæ Religioſę, (neq; enim ſine illâ eſſe poteſt,) aliquid moleſtiæ ſubditis pariat, aut eos contriſtet, adhibitâ Superioris manſuetudine temperetur.

tur. Hæc autem coniuncta sint CVM VNIVERSIS LIGNIS LIBANI; vt defatigatis spiritibus, quasi sub vmbrâ requies aliqua concedatur. Ne tamen nimia suauitas insalubritatem gignat, crescant in horto tuo etiam MYRRHA ET ALOE, notæ amaritudinis ambæ; vtiles tamen, quòd illa à putredine præseruet, hæc putridos iam humores educat: vt aut præueniantur peccata per mortificationis studium, aut admissis per pœnitentiæ rigorem remedium adhibeatur. Sint prætereà illa quoque coniuncta CVM OMNIBVS PRIMIS VNGVENTIS, quæ ex dictarum herbarum succis gummisque conficiantur, & ad olei modum etiam in superficie vncta ad interiora animi peruadere possint, & neruos afficere. Notatum enim est, oleum intus per modum cibi assumptum neruos debilitare, eisq; robur adimere; si verò extrinsecus illinatur, eosdem, vt in luctatoribus patet, roborare. Cùm ergo hîc quasi in certamine sis, operæ pretium erit huius olei inunctiones in promptu, atque adeò in vsu habere. Et hactenus quidem de horto, in quo didicisti, Sulamitis, quasnam virtutes ipse Doctor Ductorque animarum necessariò intra se habeat. Veniamus iam ad fontem, vt & de doctrinâ ipsâ nonnihil audias. Sit iste FONS HORTORVM, vt in quamplurimos doctrina

diffundatur; ſed & PVTEVS AQVARVM VIVENTIVM. Et puteus quidem nullam, niſi de ſui plenitudine, aquam effundit; vt documenta tua primùm ipſa altè imbibas, priuſquam ad alios transfundas: etenim qui ſibi malus, cui is eſt bonus? neque tu vmquam, Sulamitis, alicui benè eris magiſtra, niſi ipſa tibi prima ſis diſcipula; neq; quidquá verbo, quod non exéplo doceas. Dein tantú aquas viuentes aut admittas, aut ſubminiſtres: ne vanam rerum prætereuntium cognitionem iactes; ſed conare potiùs, vt verba tua ſpiritus & vita ſint. Dein feruor & zelus in docendo adſint, vt illas aquas imiteris, QVÆ FLVVNT IMPETV DE LIBANO; vt viam ſibi aut inueniant, aut faciant, dum ad mare ſuum, vnde omnia flumina exeunt, reuertantur. Mare autem illud Deus eſt, vnde omnia tamquam à primo principio egrediuntur, & quò eadem tamquam in vltimum finem relabuntur. Hæc verba mihi pro calcaribus & ſtimulis erant, iamque pudere me incipiebat antiquæ tarditatis meæ. Quare deſidiæ hactenus meæ crimen deteſtans, SVRGE, & faceſſe hinc, dicebam, frigide & congelator AQVILO: tu verò VENI AVSTER calidior, in eiuſque locum ſuccede, ac PERFLA HORTVM MEVM, ET FLVANT AROMATA ILLIVS in multorum vtilitatem & ſalutem.

Hacte-

Hactenus enim Aquilo ad partes me Australes impulit; quærebam enim sectabarque eos tantùm, quorum consuetudine videbar posse fieri melior. At verò iam res exiget, vt Auster me in Aquilonem transferat, vt illuc etiam, vbi hactenus aut nullus aut perparuus diuini amoris feruor fuit, aromata mea transferantur.

NOTÆ.

HORTVS CONCLVSVS, SOROR MEA SPONSA, HORTVS CONCLVSVS.] *S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus:* Ianua nostra os nostrum est: Christo propemodum soli debet aperiri. Nec aperiatur, nisi antè pulsauerit Dei Verbum. Ideò scriptum est: Hortus conclusus, *&c.* ne facilè aperiat os suum, nec vulgari resignet alloquio: neque enim de ipsis diuinis decet, nisi verbo Dei interpellata, respondeas. Quid tibi cum ceteris? Soli Christo loquere, soli fabulare Christo. *Vide ibidem plura in eumdem sensum.*

Richardus de S. Victore: Hortus est anima, in quo excoluntur virtutum plantaria, & spiritualium studiorum germina. Hic hortus tum foditur, dum in eâ vitia radicitus exstirpantur, & mores conuertuntur. Qui etiam tunc altiùs foditur, cùm naturam vitiorum & origines cognoscere studet homo. Numquam enim tepidus operator, & naturæ vitiorum ignarus, poterit benè mortificare vitia.

S. Gregorius Papa: Vnaquæque sancta anima hortus conclusus esse intelligitur, quia dum virtutes nutrit, flores gignit; & dum virtutis exhalatione

ſe reficit, fructus, quos genuerat, eadem cuſtodit: concluſus enim hortus eſſe dicitur, quia dum bonâ ſuâ intentione vitæ æternæ abſcondit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipſâ bonâ intentione ſe circumſepit, ne ad interiora rapienda hoſtis antiquus irrumpere poſſit.

FONS SIGNATVS.] *Gilbertus Serm. 37. per* hortum *intelligit auditores, per* fontem *Doctores. S. Gregorius:* Fons dicitur, quia dum cæleſtia aſſiduè cogitat, dum ſcientiam Scripturarum ſemper in ventrem memoriæ congregat, quaſi aquas viuentes ſancta mens in ſe gignere non ceſſat, quas ſitientibus proximis præbere, vt reficiantur, valeat. **** Sed cur dicitur fons ille ſignatus, niſi quia ſenſus ſpiritalis mentibus indignis abſconditur? *Similia habent Richardus de S. Victore, Theodoretus, & alij.*

EMISSIONES TVÆ PARADISVS MALORVM PVNICORVM CVM POMORVM FRVCTIBVS.] *S. Gregorius:* Quid emittit ſancta Eccleſia, niſi cum ſanctis operibus ſancta verba? quibus filios gignit & nutrit: quorum dum alios vſque ad martyrium perducit, alios in ſanctâ conuerſatione erudit; hos ſanguine martyrij rubentes ad æternam patriam tranſmittit, illos verò in ſanctis operibus viuentes proximis in exemplum ſanctitatis tradit; quid aliud quàm mala punica, & pomorum fructus emittit? *Vide plura ibidē; & ſimilia apud Anſelmum.*

S. Bernardus Sermone paruo 59. Sunt autem tres emiſſiones: prima coniugatorum pœnitentium in mundo, ſecunda conuerſorum continentium in clauſtro, tertia Prælatorum prædicantium, & orantium pro Dei populo. *Ita nimirum diſcit hîc Sponſa omnibus omnia fieri.*

CYPRI

Cypri cvm nardo.] *Anselmus:* Cyprus est virgâ gracili,quæ crescit in magnam altitudinem, & habet grana,vnde fit Regium vnguentum:& habet secum nardum, quæ herba humilis est. Per cyprum habemus sanctos,qui crescunt in multã altitudinem virtutum, & proferunt grana, id est bona opera,quibus vngitur & decoraturDeus;& semper sunt cum humilitate,quæ per nardum significatur.

S. Gregorius Nyssenus Hom. 9. Cyprus calida, nardus odorifera, quo significatur calorem fœtidum non esse bonum, qualis est amor carnalis, & terrenorum:sed illum esse bonum, qui per bonum odorem habet puritatis, qualis est charitas Spiritu sancto feruens.

Nardvs et crocvs.] *S.Greg. Nyssenus eodem loco ait in croco temperiem quamdam esse, & ita moderationem quamdam innui,quæ omnem excessum vitet:quæ si cum eis quæ attulimus comparentur, facile erit deducere ex eo, etiam deiectionem sui & submissionem in exterioribus, maximè in eo cuius est ceteros gubernare,eisque præesse,nimiam esse non debere,quòd multùm ad subditorum profectum faciat, si benè de eorum,qui sibi præsunt,virtutibus iudicent.*

Fistvla et cinnamomvm.] *Theodoretus:* Additur calamo cinnamomum, quod in veteri lege offerebatur, vt intelligamus, quæ de Deo monumentis sunt tradita literarum, tum laudabilia esse, tum odorifera,& his aromatibus comparanda.

Cvm vniversis lignis Libani.] *Richardus de S. Victore:* Ligna Libani sublimem eorum [*iustorum*] operationem demonstrant. Hæc crescunt in horto bonorum, dum & magna agunt, & apud se semper humiles & parui sunt.

MYRRHA ET ALOE CVM OMNIBVS PRIMIS VNGVENTIS.] *Anſelmus hæc accipit de eis, qui maiores minorésve perſecutiones ſuſtinent.* Aloë enim, *inquit*, minùs amara eſt, quàm myrrha.

Beda: Myrrha & aloë continentiam carnis exprimunt, quia nimirum horũ natura eſt aromatum, vt vncta ex eis corpora defunctorum minimè putreſcant. *** prima verò vnguenta illa ſunt, de quibus dicit Apoſtolus: Æmulamini autem chariſmata meliora. ** Pulchra ſanè coniunctio, vt myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis Dominico oriantur in horto: quia dum carnem à laſciuiâ reſtringimus, conſequens eſt, vt maiora dona ſpiritus accipiamus.

De eâdem coniunctione Tres Patres apud Theodoretum: Niſi anima ſapiat quę ſunt ſpiritus, & ſanctiſſima eius dona ſuſcipiat *** carnalis ſenſus mortificationem; quæ per myrrham & aloëm ſignificatur, non aſſequetur.

FONS HORTORVM: PVTEVS AQVARVM VIVENTIVM.] *S. Gregorius Nyſſenus Hom.* 9. Cuius ex ore ſunt emiſſiones malorum punicorum, & paradiſi aromatum, ea nunc fit fons hortorum irrigans hortos, qui ex eâ orti ſunt, non ſicut de Paulo & Apollo didicimus, quòd alter plantaret, alter verò irrigaret; ſed ipſa duo operatur, vt quæ ſimul & plantet hortos & irriget. *** Hoc eſt omnium maximè admirabile: nam cùm omnes putei ſemper aquam habeant conſiſtentem, ſola Sponſa aquam in ſe habet permeantem, adeò vt putei profundum habeat fluuij perennem motionem.

Richardus de S. Victore: Fons eſt anima deuota, quæ manat, & fluit; ſemper noua oritur, quia ſemper

per in Deo renouatur. Meditatur enim, vel operatur bonum, vel desiderio ad anteriora fertur. Fons iste non cessat ebullire & erumpere ad Dei amorem, ad proprium excrescere, & dilatari ad proximi dilectionem. *Vide ibidem plura & pulchra circa eamdem rem.*

Gilbertus Serm. 37. Si fons est, quomodo puteus? Nostis enim quantum distent inter se hi noti fontes & putei. Puteus infoditur, fons gratis fluit: in illo aquæ reconditæ sunt, in istis quasi propositæ, & se ipsas offerentes vltrò. Magna est in istis differentia, nec possunt vtraque in alterutris inueniri. *** Corporalia & terrena angusta sunt, spirituales abundant diuitiæ. Ad spiritualia si referamus ista, in eodem erit inuenire fontem & puteum, & alterutra ad inuicem propria cõmunicari. Communicemus ergo hæc, si vultis, inuicem propria, & in eodem adsignemus vtraque. Accipiamus in fonte sufficientiam doctrinæ, in puteo secretum; in illo abundantiam, in isto alta mysteria: & quidem bonus doctor, qui quasi de quodam alto puteo, ita de abdito sapientiæ thesauro copiosè profert noua & vetera, puteus est; quia quæ Dei sunt, nemo nouit nisi Spiritus Dei: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei; & quasi fons quidam producit in medium, & virtutum hortos irriguos reddit. *Vide ibidem plura eódem spectantia.*

QVÆ FLVVNT IMPETV DE LIBANO.] *Beda lib.*4. *ait hic significari impetum Apostolicæ prædicationis.* Quomodo decurrentia de monte alto flumina nemo retinere valet: sic profluxus Apostolici sermonis, quia de cælesti venâ procedebat, quia diuinitus vrgebatur vt curreret, nullo resistentium

potentiarum valuit certamine ſuperari, & à ſuo tramite reflecti: quia potiùs animas priùs dedere, quàm à doctrinæ vitalis irrigatione ceſſarent.

SVRGE AQVILO, ET VENI AVSTER, PERFLA HORTVM MEVM, ET FLVANT AROMATA ILLIVS.] *S. Gregorius Nyſſenus Hom.* 10. Quænam eſt autem cauſa, quòd amandatur hic ventus? Aquilo eſt durus & aſper ventus, vt dicitur alicubi prouerbio. Vocatur autem dexter nomine: ſed non eſt dexter Aquilo, niſi ijs qui à tergo habent Orientem, peragens curſum ad Occidentem. Omnino intelligis ænigma eorum quæ dicuntur; quòd ſcilicet, qui recedit ab Oriente (ſic enim nominatur Chriſtus à Prophetâ) & ſe protrudit ad occaſum lucis, vbi eſt poteſtas tenebrarum, ſibi habet dextrum Aquilonem, improbis inſultibus eum excipientem, per quos curſus conficitur ad tenebras. Ita ſibi dextrum Aquilonem inuenit impudicus & intemperans, conſpirantem affectui, & perturbationi ignominiæ. Ita auaro fit dexter ſpiritus ille nequitiæ, quando materiam auaritiæ tamquam arenam aliquam aut puluerem ei congerit. Ita ad vnumquodque peccatum auxilium ei prębēs fit dexter. **** Quoniam locus iſte (*plaga Aquilonaris*) perpetuò manet luce carens & frigidus, vt qui à radijs ſolis neque illuminetur, neque foueatur, propterea Principem poteſtatis tenebrarum, qui mollem animarum naturam inſtar aquæ concreſcere facit & duram reddit, nominat Verbum durum Aquilonem, effectorem triſtitiæ hiemis; in quâ dicit Euangelium nullâ ratione effugi poſſe pericula: in eâ enim marceſcit decor eorum, qui florent ex virtute.

S. Auguſtinus in prolixâ illâ ad Honoratum Epi-

Epistolâ, quæ in ordine Epistolarum 120. est *cap.* 22. *hunc locum paraphrasi reddit:* Exurge qui irruisti, qui subditis incumbis, qui possessos premis. Exurge, vt à tuo pondere releuati erigantur, quorum animas premendo curuasti. Et veni Auster, inquit, spiritum inuocans gratiæ flantem de meridie, velut à parte feruidâ & luminosâ, vt fluant aromata. Vnde Apostolus dicit: Christi bonus odor sumus in omni loco. *1. Cor. 2. v. 15.* Hinc etiam dicitur in quodam Psalmo: Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro; *Psal. 125. v. 4.* captiuitatem scilicet, quâ sub diabolo tamquam sub Aquilone tenebantur, vbi abundante iniquitate friguerant, & quodammodò congelauerant. Hinc & Euangelium dicit: Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. *Matth. 24. v. 12.* At verò flante Austro glacies resoluitur, & torrentes fluunt, id est, remissis peccatis, populi ad Christum charitate concurrunt. *Vide etiam pulchra apud Richardum de S. Victore in hunc locum.*

SECTIO III.

Sulamitis operi se accingit, & Sponsum cum amicis excipit.

TEXTVS, *ex cap. 5. vers. 1.*

1 VENIAT Dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea Sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi

comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.

SVLAMITIS.

ADMOVENDA tandem erat manus operi: quare, VENIAT, dicebam, DILECTVS MEVS IN HORTVM SVVM, ET COMEDAT FRVCTVM POMORVM SVORVM; ne hîc etiam conqueri poſſit, quòd in ſua veniens, à ſuis receptus non ſit: inuito ergo, rogoque eum, vt iam operâ meâ vti non dedignetur. Hac ego inuocatione non tantùm ipſum, qui Caput Eccleſiæ ſuæ eſt, ſed & omnia ipſius membra inuitaui, eaſque maximè animas, in quibus conuertendis ipſe me Salomon ſtatuerat occupare. Sciebam profectò, quidquid in minimis eius iuuandis operæ inſumerem, id ipſi me poſſe imputare. Nec ſanè diu rogandus fuit. Dictum, factum. Accepit inuitationem; & amicis benè comitatus, Ecce, dicebat, adſum, rogatuſque VENI IN HORTVM MEVM, SOROR MEA SPONSA. nec vlteriùs cunctatus, eâ quâ ipſum vti decuit libertate ad conuiuas conuerſus, Nolo vos timidiùs agere, inquit, ô Amici, aut, vt vmbræ

ſolent,

ſolent, qui ad aliena vocantur, verecundari. Mea hæc ſunt, quæ videtis : ego ipſe MESSVI MYRRHAM MEAM CVM AROMATIBVS MEIS. Itaque quidquid à Sulamitide meâ, ſiue de mortificationis ſtudio, ſiue de aliarum virtutum exercitio vobis proponetur, non tam ab illâ quàm à me proficiſci æſtimetis. Imò vt Regibus & Principibus viris, dum venena formidant, ſui prælibatores eſſe ſolent; iſtud muneris ego ipſe in me recepi. Nihil ergo eſt, quod hîc trepidetis : ego omnia, quæ vobis propinabuntur, prægustaui, omnem calicem prior bibi : itaque ego COMEDI FAVVM CVM MELLE MEO, BIBI VINVM MEVM CVM LACTE MEO, vnde & amara & dulcia, quæ ipſa propinabit, tamquam à me profecta, pari poſſitis ſecuritate recipere. COMEDITE igitur AMICI, ET BIBITE, ET INEBRIAMINI CHARISSIMI. Nihil cauſæ eſt, cur hîc modum fortè excedere formidetis, me ipſo tamquam ad menſuram omnia ſubminiſtrante. Hæc ille. Verùm iſtud obiter in verbis Salomonis mei notari poteſt; hoſce conuiuas, & amicos & chariſſimos vocari, vt ſimul aduertatur, ipſum noluiſſe me initio ſtatim cum peſſimis quibuſque peccatoribus occupari, ne initio ſtatim periculum ſubirem aliquid mali ex eorum conuerſatione acquirendi. Itaque eos primùm addu-

adduxit ad me, qui boni instructoris ductum faciliùs assequerentur.

NOTÆ.

VENIAT DILECTVS MEVS IN HORTVM SVVM,&c.] *S. Ambrosius lib. de Bono mortis cap. 5.* Anima ornata virtutum floribus hortus est, vel in se paradisum habet germinantem: in quem hortum inuitat Verbum Dei descendere, vt anima Verbi imbre cælestis & eius copiis irrigata fructificet. Verbum autem Dei pascitur animæ virtutibus, quoties obedientem sibi & opimam inuenerit, & carpit fructus eius, atque his delectatur.

Similia habent Beda, Iustus Orgelitanus, Philo, Richardus, & alij. Idem & S. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 3. Lætata inuitat Christum, paratum habens conuiuium, quod dignum cælesti epulatione videatur. ideoque ait: Descendat Frater meus in hortum suum, vt capiat fructum pomiferarum suarum. Quæ sunt istæ pomiferæ? Lignum aridum factus eras in Adam, sed nunc per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti. Libenter accepit Dominus IESVS, & dignatione cælesti respondet Sponsæ suæ: Descendi, &c.

VENI IN HORTVM MEVM, SOROR MEA SPONSA, &c.] *Explicatio Bedæ proposito nostro benè congruit, si dicamus Sponsum hæc commemorare, quasi subindicando quid sibi à Sulamitidis sobole expectet. Ita enim loquitur*: Veni sæpissimè in Ecclesiam meam, imò hoc facere nullo modo peregrinationis eius tempore desisto. Venio autem, vt & errantes corrigam, & infirmantes adiuuem, & dubitantes in fide confirmem, & benè agentium fructibus per-

perfectis quasi suauissimis dapibus pascar, & certantes ab hostium defendam insidiis, & victores hostium perpetuæ meæ visionis coronâ remunerem. Messui myrrham cum aromatibus meis. Per myrrham designantur hi, qui vel martyrio vitam finierunt, vel qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis: per aromata generaliter omnes, qui bonorum operum sunt famâ insignes.

COMEDI FAVVM CVM MELLE MEO, BIBI VINVM MEVM CVM LACTE MEO.] *S. Gregorius Magnus hîc*: Fauum cum melle comedit Sponsus, quando desiderium sanctum cum sanctis operibus latens perficit, & ad Sanctorum conuiuium sanctam animam suâ dilectione impinguandam transigit: vinum verò suum cum lacte bibit, quando & perfectione quorumdam se reficit, & innocentiam aliorum cum pietate dirigens, vtrosque ad æternum conuiuium ingerit.

S. Ambrosius Serm. 13. *in Psalm.* 118. *hæc verba Sponsæ tribuere videtur; tamen potest eius explicatio etiam Sponso accommodari, quòd ipse quasi in membris sua receperit illa quæ hîc enumeratur.* Manducaui, *inquit*, panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Mysticus sermo cælestium Scripturarum sicut panis est, qui confirmat cor hominis, velut fortior cibus verbi. Suasorius autem ethicus, dulcis & mollior, eò quòd ethicâ prædicatione mentis interna mulcentur. Sicut enim oris amara, quæ febribus vel alijs acciderunt ęgritudinibus, mel mitificat: ita tristia delictorum pœnitentiâ miti corda sermone dulcescunt. Stillant mel labia prædicantis, quando collisa duris casibus vel ruinis, lapsæ animæ membra refouentur. Est etiam

etiam vis feruẽtior verbi, ſicut & vini. Eſt etiam in lactis ſpecie ſermo lucidior. Edite, inquit, Proximi mei, & bibite, & inebriamini. Bona ebrietas, quę ad meliora atque iucunda quemdã facit mentis exceſſum, vt immemor ſolicitudinũ animus noſter vino iucũditatis hilaretur. Bona mentis ſpiritualis ebrietas. Denique poculum inebrians quàm pręclarum!

Beda etiam loco paulò antè allato ita loquitur: Fauo comparãtur hi, qui in Literis ſacris dulcedinem ſenſuum ſpiritualium inueſtigare, atque ad ſalutem audientium elucidare prædicando nouerunt. Melli aſſimilantur, qui appoſitas ſibi epulas verbi libenter guſtare hiſque inſatiabiliter veſci deſiderant. Item in vino fortes ac ſummi cæleſtium prædicatores, & lacte infirmi horum auditores exprimuntur.

COMEDITE AMICI, ET BIBITE, ET INEBRIAMINI CHARISSIMI.] *S. Gregorius Magnus*: Notandum inprimis eſt, quòd qui comedunt, amici; qui verò bibunt, & inebriantur, chariſſimi eſſe perhibentur: in quibus verbis intelligi datur, quia in hoc loco comedere bonum eſt, ſed bibere & inebriari amplius bonum eſt. Sunt nimirum quidam in ſanctâ Eccleſiâ, qui ſic præcepta diuina audiunt, vt cæleſtia plus quàm terrena amare diſcant, pro eorum deſiderio multa pauperibus tribuant, à prauis operibus ſe cuſtodiant, nulla alicui violenter rapiant, Eccleſiæ prædicationem libenter audiant, in Fide ſe inſtruant, quam & operibus ſanctis exerceant; & tamen vxores habent, pignora nutriunt, res ſuas diligunt, quamuis his omnibus Chriſtum præponant. Hi profectò comedunt, & amici ſunt; quia ſanctam Scripturam audientes, talem ſibi refe-

refectionem adſumunt, vt etſi ad ſummam perfectionẽ adhuc non aſſurgunt, tamen ſecundùm modum ſuum perfecti in præceptis diuinis ſine crimine viuunt. * * * Sunt verò alij, qui tantâ auiditate diuinam Scripturam audiunt, vel legunt, vt protinus cunctis terrenis operibus abdicatis, ſola cæleſtia ambiant, parentes, vxores, domos, filios etiam & omnia tranſitoria abijciant, ſolummodò Chriſtum ſequi & amplecti concupiſcant: eius deſiderio ſe affligunt ieiuniis, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus diuinis; ſola, quæ ſunt æterna, cogitant, contemplationibus vacant, ad hoc laborantes, vt ea quæ retrò ſunt obliuiſcentes, ad anteriora magis ac magis ſe extendant. Quid profectò iſti, quid aliud agunt, niſi bibentes inebriantur? vt dum omnium terrenorum per deſiderium obliuiſcuntur, iure à Sponſo cæleſti non tantùm Amici, ſed & Chariſſimi vocari mereantur.

SECTIO IV.

Prima difficultas Sulamitidis in hoc ſtatu.

TEXTVS, *ex cap. 5. verſ. 2. 3. 4.*

2 EGO dormio, & cor meum vigilat: vox Dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. 3 Expoliaui me tu-

nicâ meâ, quomodo induar illâ? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?
4 Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.

PARAPHRASIS.

PROLIXE itaque excipiebat Amicos & Chariſſimos ſuos Salomon, & conuiuium in multam noctem producebat. At illis tandem aliquando digreſſis, ego me etiam quieti dedi, vt in ſanctâ contemplatione vires ipſa meas nonnihil refocillarem. Verùm occupationum inſolentiâ fiebat, vt diſtractiones ex præcedentibus turbis natas non facilè excuterem. Itaque mecum conqueri cœpi: EGO DORMIO, ET COR MEVM VIGILAT. Temporis hoc quidquid eſt, mihi pro ſomno imputatur; &, vt ipſa mihi vacem, conceditur. At ecce interim ego nihil minùs quàm dormio: nam veluti à præuiâ tempeſtate commotum mare etiam ceſſante vento non ſtatim detumeſcit; ita & mihi contingit, in cuius animâ præcedentium turbarum non paruus etiam nunc motus tumultuatur. Sed ad malum illud etiam alterum accedebat malum, quòd inquieta illa quies ne ſic quidem

dem

dem ad ſatietatem mihi concederetur. Nam ecce ex improuiſo VOX DILECTI MEI PVLSANTIS, & dicentis: APERI MIHI, SOROR MEA, AMICA MEA, COLVMBA MEA, IMMACVLATA MEA: enimuerò niſi veterno quodam quaſi ſemiſepulta ſecundùm ſuperiorem hominem fuiſſem, quomodo ad hanc tam blandam Sponſi ac Regis mei inuitationem non ſtatim exiliiſſem, torporem excuſſiſſem, & obuiis vlnis illum cum omnibus quotquot adduceret conuiuis excepiſſem; maximè cùm non tam conuiuis aliis, quàm ſibi aperiri peteret? Deinde ne quid cauſæ foret, quod prætenderem, vrgebat etiam neceſſitatē: QVIA CAPVT MEVM, dicebat, PLENVM EST RORE, ET CINCINNI MEI GVTTIS NOCTIVM. Ne putes me illos rurſus tamquam ad repotia reducere, quibuſcum non ita pridem à te diſceſſi, quoſque tum Amicos ac Chariſſimos nominabam: hos capillis capitis comparo, qui etſi communi vitâ cum reliquo corpore non fruuntur, firmiter tamen illi inhærent, vt ſine dolore euelli nequeant. Hi ipſi nocturno iam rore maduerunt. Animæ enim diuinæ gratiæ ornamento per mortiferum peccatum ſpoliatæ iam tibi fouendæ veniunt, Sulamitis, vt etiam ipſæ ſacroſancto amoris noſtri igne incaleſcant. Dura ſanè & grauis mihi

videbatur illa Sponſi mei petitio; &, ne culpam hîc meam diſſimulem, ego ipſa etiam tædio victa, diſertè, ne illas tales admitterem, recuſaui. EXPOLIAVI, dicebam, ME TVNICA MEA, ET QVOMODO INDVAR ILLA? Non diu eſt, quòd omni diligentiâ tabium iſtarũ conſuetudini me ſubtraxerim, idq́; nó ſine magnâ difficultate; & quomodo iam vltrò patiar iſtiuſmodi me difficultatibus rurſus impediri? Prætereà LAVI PEDES MEOS: id eſt, animi mei affectus ab omni terrenæ fæcis ſordibus repurgaui, & QVOMODO iterùm INQVINABO ILLOS? Vt enim hanc rem conſtitutam aduerto, ego me, ſi cum illis familiariter agere cœpero, vix, aut ne vix quidem, intactam potero conſeruare. Intelligebat iam ſatis Salomon ſe neque blandiendo, neque neceſſitatem animarum exponendo voti compotem futurum: quare à verbis ad rem venit, DILECTVS MEVS MISIT MANVM SVAM PER oſtij FORAMEN; & per feneſtellã exiguam, quæ in portis ad extrorſum proſpiciendum eſſe ſolet, motis peſſulis aditum ſibi reſerare contendit: oſtendens nimirum ſe familiariorem eſſe, quàm vt ad illum modum ſe excludi pateretur. Quin & me ipſam leuiter pulſans, aliquâ iniectâ aduerſitate ſomnolentiam omnem excuſſit, ET ſtatim VENTER MEVS INTREMVIT AD TACTVM.

CTVM EIVS; omniaque interiora mea (tantum est à manu Domini tactam fuisse) coniuncta fuere.

NOTÆ.

EGO DORMIO, ET COR MEVM VIGILAT.] *Honorius Augustodunensis*: Finito conuiuio, Regina iuit dormitum, dicens cubiculi excubitoribus: Si Rex me quærat, dicite: Quia ego dormio, & cor meum vigilat. *ita ille: quæ explicatio saltem ex parte nostro etiam instituto potest commodè applicari. Sed S. Ioannes Chrysostomus Hom.* 10. *de Pœnitentiâ, eodem ferè modo sibi vsu venire testatur, quo nos de Sulamitide nostrâ hæc exposuimus: ita enim ibi dicit:* Quod Salomon ait, Ego dormio, & cor meum vigilat; id ipsum & nobis contingit. Nam somni necessitas palpebras ipsas contrahit, tyrannis verò amoris vestri oculos nostræ mentis excitat, ac sępenumerò per somnū vobiscum loqui visus sum. Etenim consueuit anima, quæ interdiu cogitat, eadē in somnis per phantasiam cernere.

Rikelius: Per contemplationem obdormio, per raptum amplector, per ecstasim quoque in ipsum transformor, & cor meum vigilat, * * maternæ solicitudinis vigilias cordiales exercere non negligo.

VOX DILECTI MEI PVLSANTIS: APERI MIHI, *&c.*] *S. Gregorius Magnus hic:* Dum Sponsa dormit, Dilectus, vt aperiatur ei, pulsat: quia dum sancta mens sibi ipsi per otium intendit, Christus multa peccatorum opera in hoc mundo tolerat. * * * Vult ergo Sponsus, vt aliquando otium dimittatur, & ad ædificationem proximorum spirituales quoque solicitentur.

 S. Augu-

S. Augustinus Tract. 57. in Ioan. Vox eius pulsat ad ianuam, & dicit mihi: Aperi mihi soror mea, **** Pulsat, vt excutiat quietem sanctis otiosis, & clamat: Aperi mihi de sanguine meo Soror mea, de accessu meo Proxima mea, de spiritu meo Columba mea, de sermone meo, quem pleniùs ex otio didicisti, Perfecta mea. Aperi mihi, prædica me. Ad eos quippe qui clauserunt contra me, quomodo intrabo sine aperiente? Quomodo etiam audient sine prædicante?

S. Iustus Orgelitanus: Pulsat Dominus, quando, quæ bona sunt, vel per doctrinam docet, vel occultâ inspiratione Sanctorum corda ad benefaciendum instigat.

QVIA CAPVT MEVM PLENVM EST RORE, ET CINCINNI MEI GVTTIS NOCTIVM.] *S. Augustinus loco allato:* Nox iniquitas est: ros verò & guttæ hi sunt qui refrigescunt, & cadunt, & faciunt refrigescere caput Christi: hoc est, vt non ametur Deus.

S. Gregorius Papa: Per cincinnos populos intelligimus, quos in fide diuinitatis quasi in capite Christi pendentes & opprimentes scimus. Sed cincinni pleni esse dicuntur guttis noctium; quia, dum in torpore huius temporalitatis se suspendunt, magis ac magis stillationibus iniquitatis fluunt. Ad hos accendendos Sponsa excitatur, dum spiritalis quilibet pro ædificatione plurimorum ab otio ad prælationem Ecclesiæ vocatur.

EXPOLIAVI ME TVNICA MEA, QVOMODO INDVAR ILLA?] *S. Ambrosius Lib. de Isaac & animâ cap. 6.* Veretur, ne iterùm in tentationem resurgat, ne iterùm in culpam redeat atque peccatum,

&

& egressus suos virtutumque progressus terrenis incipiat vestigijs inquinare.

S. Augustinus vbi suprà: Qui amant otium studiorum bonorum, & nolunt perpeti laboriosarum molestias actionum, eò quòd minùs idoneos ad hæc ministranda & sine reprehensione agenda se sentiunt; mallent, si fieri posset, sanctos Apostolos, & prædicatores veritatis antiquos excitari aduersus abundantiam iniquitatis. *** Respiciens ad eos, qui prædicare, & populos acquirere, ac regere, ac sic Christo adferre vtcumque possunt, sed in difficultatibus peccare metuunt. Laui, inquit, pedes meos, quomodo inquinabo eos? Quisquis enim verbo non offendit, hic perfectus est vir. Et quis est perfectus? quis est, qui non offendit in tantâ abundantiâ iniquitatis, tanto frigore charitatis? *Vide toto illo tractatu egregiè ac fusè explicata omnia quæ nos totâ hac Sectione habemus, omniaque ad illum, quem nos quoque secuti sumus, sensum.*

DILECTVS MEVS MISIT MANVM SVAM PER FORAMEN.] *Theodoretus:* Quia noluit confestim aperire pulsanti, tangit eam per quemdam ex sensibus, quem foramen appellauit, inferens manum, hoc est actionem. Amorem autem illius accendit atque inflammat. Id enim patet ex illis verbis: Venter meus intremuit ad tactum eius. Theodotion vertit, calefactus est.

Aponius, vt in eius Compendio habet Lucas Abbas, ipsius enim Commentarium non habemus nisi ad capitis tertij v. 7. vnde quæ sequentur, ex eo Auctore citata, hoc Lucâ Abbate accipiemus. Quando [*anima*] in quocumque errore posita pulsanti non aperit, Christus per foramen mittit manum suam,

caſtigando per damna rerum, *** mittit manum, vt ſentiat quidem, ſed non dat vt videat manum, quæ corripit contemptorem: intremiſcit enim venter animæ, id eſt ſenſus, quando pro peccatis iuncis fuerit acerrimis flagellatus.

Philo Carpathius in hunc locum ita: Tunc manum ſuam Sponſus per foramen, Sponſæ admouet, vt ſurgat; cùm per internam quamdam intelligentiam eam inſtruit ac docet, quàm mira ſint diuinæ prouidentiæ & poteſtatis opera, quibus qui tegitur, is numquam perire poteſt: propterea non eſſe timendum, quin vel inter pericula tutò verſari poſſit ob ſalutem Proximorum, modò non id ſuæ virtuti tribuat arroganter, ſeque aliquid eſſe putet, cùm nihil ſit omnino, niſi tum cùm Deo ſuo adhæret, paretque, auditque humiliter. Nam nec in ſummâ pace & maximâ ſolitudine quemquam ſaluari poſſe conſtat, niſi per eum, qui & benè olentes roſas inter ſpinas, & triticum inter zizania conſeruare nouit, ne lædantur: nullumque vmquam hominum in ſe ſperantium dereliquit, vel in maximis vitę diſcriminibus conſtitutum. Ob idque Sponſa ad huius tactum intremiſcit, quoniam ſancta quæque anima quò clariùs diuinam potentiam per interiorem oculum mentis intuetur ac cernit, eò vehementiùs ſibi timet, ſeque eò acriùs recenſet ac iudicat, quidquid in ſe carnale deprehendit. Et quò maiore charitate in eum ardet, quem exoptat, quoque magis veretur ac timet, ne quid in ſe deprehendat odio vel animaduerſione dignum, eò demiſſiùs ſe illi ſubijcit, ſeque totam ad Sponſi voluntatem parat, ac defert.

Rupertus refert ſuâ ætate perſonam aliquam piam

reuerà contactum aliquem manus prodigiosæ persensisse; quo contactu, planè eo modo quo hîc narratur, miraculosè in Dei ardorem se sensit inflammari.

SECTIO V.

Altera difficultas Sulamitidis ob digressum, nec inuentum Sponsum, & malorum oblocutiones.

TEXTVS, *ex cap. 5. vers. 5. 6. 7. 8. 9.*

5 SVRREXI, vt aperirem Dilecto
meo: manus meæ stillauerunt
myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ
probatissimâ. 6 Pessulum ostij mei ape-
rui Dilecto meo: at ille declinauerat,
atque transierat. Anima mea liquefacta
est, vt locutus est: quæsiui, & non inue-
ni illum: vocaui, & non respondit mi-
hi. 7 Inuenerunt me custodes qui cir-
cumeunt ciuitatem: percusserunt me,
& vulnerauerunt me: tulerunt pallium
meũ mihi custodes murorum. 8 Adiu-
ro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis Di-
lectum meũ, vt nuntietis ei quia amore
langueo. 9 Qualis est Dilectus tuus ex

dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est Dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos?

PARAPHRASIS.

NEC mora, magnâ cum feſtinatione SVRREXI, VT APERIREM DILECTO MEO. & vixdum ecce peſſulum ab eius myrrhâ madentibus manibus paulò antè commotum tetigeram, MANVS etiam MEÆ STILLAVERVNT MYRRHAM, ET DIGITI MEI PLENI fuerunt MYRRHA PROBATISSIMA: illâ nimirum, quæ ex ipſius digitis manubrio ſeræ inhæſerat. Et verè probatiſſima erat: ex eo enim ſtactes genere videbatur, quæ ſponte ex arbore deſudat, melior alterâ quam læſi violenter rami ſtillant: vt enim cogitare cœpi, quantum ille pro hominum ſalute faciendum ſibi aſſumpſerat, conſtitui etiam ego ſpontaneâ atque voluntariâ quadam mei afflictione aliquid in eum finem tolerare. Itaque PESSVLVM OSTII MEI APERVI DILECTO MEO; ſperans fore, vt ipſe ſaltem ſimul cum aliis conuiuis ingrederetur. AT ILLE DECLINAVERAT, ATQVE TRANSIERAT, aut in prioris meæ tergiuerſationis pœnam; neque enim ipſe amicorum etiam ſuorum

leuio-

leuiores culpas patitur esse impunitas; aut vt absentiâ sui desiderium meum magis inflammaret; aut denique ne dulci ipsius præsentiâ retardarer ab illis animabus instruendis, quas ad me adduxerat, quasque digrediens paucissimis mihi verbis commendauerat. Profectò ANIMA MEA LIQVEFACTA EST, VT LOCVTVS EST mihi; abitumque suum, quasi summam rei mihi committens, significauit. Quid facerem? quónam misera me verterem? huc illuc circũspiciens QVÆSIVI, ET NON INVENI ILLVM: VOCAVI, ET NON RESPONDIT MIHI. Statui ergo maiori cum diligentiâ circumiens vrbem illum inuestigare, si fortè quem inuenirem, qui mihi viam ad illum ostenderet: at in nocturnâ hac vrbis obambulatione rursus INVENERVNT ME CVSTODES, QVI CIRCVMEVNT CIVITATEM; non boni illi, & amici Salomonis mei, quos antè obuiàm habueram, sed potiùs eorum aduersarij: bellicis enim turbis vrbs nostra plena, etiam intra muros hostem includit. Eorum ergo quidam non ferentes aliquid præter consuetudinem etiam in bono fieri, incurrebant in me: & licet hi, dum mihi soli vacabam, non magnopere molesti fuerant; vbi tamen aliis etiam optima consulere cœpi, & familiam quodammodò ducere, hortarique sedulò, vt Deo potiùs quàm mundo,

mundo, vacarent, non ferebant meo consilio illos vsitatam viuendi normam cum meliori commutare. Itaque PERCVSSERVNT ME, ET VVLNERAVERVNT ME, omnem quam poterant mihi molestiam inferentes. Prætereà & TVLERVNT PALLIVM MEVM MIHI CVSTODES MVRORVM, ornamenta mea famamque denigrando, & obsequium meum, quo vni Deo placere contendebam, in odium hominum reuocando. Vndique ergo, id est & foris & intus, molestiæ mihi erant, hîc ob Sponsi absentiam, illic ob iniurias & contumelias quæ mihi ab hominibus irrogabantur. Incidebat eodem tempore mihi in mentem, quàm facilis in primo cõuersionis meæ initio mihi fuerat Rex, quomodo vota mea benignitate suâ præuenerat. Cogitabã itaque, nouitias illas animas, quas ad me adduxerat, fortè simile quid experturas; quandoquidem nouâ melioris instituti expectatione intra adolescentularum Regiarũ conditionem receptę erant, aut saltem breuî recipiendæ. Præterea non ignorabam ipsi etiam gratum fore, si subditis me meis submitterem, & earumdem me precibus commendarem: quapropter ad ipsas conuersa, ADIVRO VOS, dicebam, FILIÆ IERVSALEM, SI INVENERITIS DILECTVM MEVM, VT NVNTIETIS EI QVIA AMORE LANGVEO.

Non

Non ego iam tolerata verbera neque vulnera doleo, non queror veſtimentorum iacturam; parua iſta & nihili ſunt, ſi cum interno dolore, quem ex ipſius deſiderio perſentiſco, comparentur. Quòd ſi ergo vlla vobis ad eum aperiatur via, vnum peto flagitóque, illius mihi

Reddite conſpectum, nihil illo triſte recepto.
Mirabantur hanc meam mentem Adoleſcẽtulæ, & in ipſius præſentiâ magnum mihi bonum repoſitum eſſe non ambiguè colligebãt. Vnde & in illarum mentibus gliſcere cœpit eius cognoſcendi deſiderium; dicebantque quaſi vno omnes ore: QVALIS EST DILECTVS TVVS EX DILECTO, id eſt, quem præter & ſupra omne aliud quod diligis, amas, ô PVLCHERRIMA MVLIERVM? neque enim veroſimile eſt, te talem in aliquid minùs præſtans amorem tuum collocaſſe. Et ob frequentiam interrogantium, vt fit, ingeminabantur iſtæ voces, QVALIS EST DILECTVS TVVS EX DILECTO, QVIA SIC ADIVRASTI NOS? Sed hîc fortaſſis non-nemini in mentem veniat mirari, quomodo illum ignorare potuerint illæ, quæ ab ipſo adductæ fuerant. Sed aduerti debet, eas de nocte adductas fuiſſe, ita vt ductorem ipſæ ſuum non viderent. Neque rarum eſt cæleſti Salomoni ita homines ad ſalutem adducere,

cere, vt ipsi, qui ducuntur, ducem suum principio non agnoscant.

NOTÆ.

SVRREXI, VT APERIREM DILECTO MEO.] *S. Gregorius Papa:* Tacta surgit, vt aperiat; quia dum Spiritum dilectionis ampliùs solito accipit, mox de ædificatione proximi cogitat; & prædicando agit, vt apertis cordibus Sponsus ad inhabitandos proximos veniens aditum intrandi inueniat.

Philo Carpathius etiam hoc loco: Tacta surgit aperire Sponso, cùm se intus ardentiùs incalescere sentit, magisque accendi quàm assueuerat. Propterea intelligit iam se ad proximorum vtilitatem excitari, vt in illis quoque sensus habitet, quos fidelis anima prædicando ex diuinâ gratiâ Deo cōparauit. *Videri possunt similia apud Anselmum, Bedam, Richardum, & alios.*

MANVS MEÆ STILLAVERVNT MYRRHAM, ET DIGITI MEI PLENI MYRRHA PROBATISSIMA.] *Appositè ad illud Philo notauit, non tam dicta prædicatorum debere distillare myrrham, quàm manus & facta. & S. Ambrosius Lib. de Isaac cap. 6.* Surrexit aperire, & opera eius & facta mortificata sunt mundo: talis enim debet esse anima, quæ Verbum est receptura, vt moriatur mundo, & consepeliatur in Christo: sic enim Christus inuenitur, & tale sibi quærit hospitium.

S. Gregorius Magnus: Quid per manus, nisi operationes; quid per myrrham, nisi mortificatio carnis accipitur? Manus ergo Sponsæ prædicationis myrrham stillant, quia quicumque aliis prædicant, necesse est, si multis proficere velint, vt

omni opere suo carnalem vitam mortificare contendant.

Psellus: Pessulis omnibus reductis fores aperui; id est, carnis meæ membris mortificatis, animę meę sensus omnes patefeci.

S. Gregorius Nyssenus Hom. 12. Surrexi propterea, quod sepulta cum eo fuerim per Baptismum in mortem: non enim resurrectio quidquam efficacitatis habuisset, nisi mortificatio voluntaria præcessisset: voluntarij autem indicium est stillicidium illud myrrhæ fluentis ex ipsius manibus, & quòd hoc aromate digiti illius abundare dicantur. * * * Accepi vim resurrectionis ex eo, quòd membra mea terrena mortua reddiderim, eamque membrorum mortificationem sponte meâ instituerim: non ab alio myrrha mihi in manus data, sed defluente illâ, certo meo arbitratu.

Plinius lib. 12. Naturalis historiæ cap. 15. notat, Stacten vocari illam myrrham, quam arbor eiusdem nominis sponte exsudat, eamque esse pretiosissimã optimamque: at verò cùm sectione factâ liquor ex vulnerato, vt ita dicam, ramo promanat, ille etiam Myrrha dicitur, sed inferioris notæ & valoris. De primâ ergo putem Sulamitem nostram locutam fuisse, vt voluntarium suum obsequium testaretur.

Pessvlvm ostii mei apervi Dilecto meo.] *Richardus de S. Victore cap.* 35. Sera cùm parua sit & angusta, latitudinem tamen ostij concludit, vt nisi illâ referatâ patere non possit: ita hæc minima (*de peccatis venialibus loquitur*) nisi rescindantur, non dignatur Dilectus ita venire ad animum, vt perfectè ad eum intret, & perfectâ gratiâ eam repleat.

S. Gre-

S.Gregorius Magnus hic: Pessulum ostio facimus, cùm per voluptatem carnis aditum cordis contra Sponsum obseramus. Pessulum verò aperimus, cùm remotis voluptatibus fluxis cor nostrum in amorem Christi, quod priùs durum fuerat, soluimus; & Sponso pulsanti ad ostium introitum liberum facimus.

Rupertus Tuitiensis pessulum ostij aperiri vult, cùm silentij secretum propter Christum resoluitur. Notat autem ex eo quod paulò antè de myrrha dictum fuit, priùs vitam laudabilem ad exemplum præparari debere, vt inde doctrina, audientium fidem quærens, possit promulgari; probatque hoc ex ipsius Dilecti exemplo, qui cœpit facere & docere.

AT ILLE DECLINAVERAT, ATQVE TRANSIERAT.] *Richardus vult hanc declinationem esse nihil aliud quàm occultationem sui, vt anima ita humiliata in merito cresceret. Egregiè verò S.Gregorius hîc:* Modò Sponsus Dilectam tangit, modò declinat: quia quando nos torpentes conspicit, ad amorem incitat; quando verò laborantibus nobis apprehendi posse videtur, tunc, ne apprehendatur, transit & declinat. Quod maximâ in nobis eius gratiâ agitur, vt videlicet nec in torpore nostro iacentes omnino eum amittamus, nec de plenâ eius, vt nobis videtur, apprehensione superbiamus.

ANIMA MEA LIQVEFACTA EST, VT LOCVTVS EST.] *Honorius Augustodunensis:* Anima mea, quæ Aquilone flante in malitiâ obdurata est, flante Austro liquefacta est, vt Dilectus ista locutus est mihi: Aperi mihi soror mea, quam sanguine meo feci coheredem mihi. hac voce anima mea compuncta, ad exprimendã imaginẽ Sponsi vt cera liquefacta est.

QVÆ-

QVÆSIVI; ET NON INVENI ILLVM: VOCAVI, ET NON RESPONDIT MIHI.] *Richardus de S. Victore*: Quæsitum non inuenit ad votum, nec ad omnia, quæ petit, vel desiderat, respondet ei. ** Sed cùm non exaudit ad voluntatem, meliùs tamen ad vtilitatẽ; concedit enim quod magis expedire nouit.

Beda: Dubium non est, quin non vnâ eademque vi dulcedinis semper, vt volunt, (*sancti in hac vitâ*) desiderio supernorum possunt affici, quia nimirum hæc virtus non in arbitrio eleuatæ ad superna mentis, sed in dono est tantùm eleuantis & sustentantis Dei, **** inuenitur namque semper à benè quærentibus, vt misereatur; respondet semper benè vocantibus, vt perpetuam consulat ad salutem; sed non ad hoc respondet, aut se inueniendum offert, vt, quod in patriâ peruenientibus permittit, hoc in itinere adhuc pergentibus proroget.

INVENERVNT ME CVSTODES; QVI CIRCVMEVNT CIVITATEM: PERCVSSERVNT ME; &c.] *Theodoretus*: Oberrans igitur, & Dilectum meum inquirens, incido in ciuitatis custodes, qui me non modò percusserunt, & verberarũt; sed etiam vulneribus affecerunt, & pallium abstulerunt. *** Martyres ardentes desiderio Sponsi, & vbique gentium illũ in ciuitatibus & agris ad extremos vsque terrarũ terminos prædicantes, has ærumnas omnes pertulerũt. *Similis expositio est apud S. Iustum Orgelitanum.*

ADIVRO VOS FILIÆ IERVSALEM SI INVENERITIS DILECTVM MEVM; VT NVNTIETIS EI QVIA AMORE LANGVEO.] *Aponius:* In tantũ indignam & degenerẽ se credit effectã, vt non audeat pro se fundere preces: sed filias Ierusalem adiurat lacrymabili præconio, vt ipsę dignẽtur intercessionibus suis lamen-

mentationem eius Dilecti auribus insinuare, quatenus errantem reuocet, percussam consoletur, vulneratam resanet, exspoliatam reuestiat.

Richardus ex hoc loco notat colligi morem sanctarum animarum vt priùs per semet ipsas Deum quærant, & mundando cordi insistant: deinde ad aliorum Sanctorum orationes confugiant.

QVALIS EST DILECTVS TVVS EX DILECTO, Ô PVLCHERRIMA MVLIERVM, &c.] *Confirmatione hic non eget nostra explicatio; vt tamen aliquis adducatur, Aponius hoc loco ita habet:* Filiæ Ierusalem interrogant animam pœnitentem, cuius potentiæ vel pulchritudinis sit hic, qui dilectus fuerat ante culpam, & ex dilecto factus est offensus post culpam. *Vbi τὸ* ex dilecto *aliter accipit quàm nos in Paraphrasi. Verùm hac in parte nobiscum stant alij. S. Gregorius:* Dilectus ex dilecto Sponsus dicitur; vt videlicet per repetitionem dilectionis maximus amor loquentis ostendatur. *quod si referas ad Sulamitidem amantem, quæ paulò antè de ipso locuta fuerat; iam omnino idem dicet sanctus iste Doctor, quod nos. Sed non est opus in re tantillâ immorari.*

SECTIO VI.

Sulamitis Salomonem à capite ad calcem describendo laudat.

TEXTVS, *ex c.* 5. *v.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

10 DILECTVS meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. 11 Caput eius aurum optimum:

Comæ

Comæ eius ſicut elatæ palmarum, ni-
græ quaſi coruus. [12] Oculi eius ſicut
columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ
lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluen-
ta pleniſſima. [13] Genæ illius ſicut areolę
aromatũ conſitæ à pigmentariis. Labia
eius lilia diſtillantia myrrham primam.
[14] Manus illius tornatiles aureæ, plenæ
hyacinthis. Venter eius eburneus, di-
ſtinctus Sapphiris. [15] Crura illius co-
lumnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt
ſuper baſes aureas. Species eius vt Liba-
ni, electus vt cedri. [16] Guttur illius ſua-
uiſſimum, & totus deſiderabilis: talis
eſt Dilectus meus, & ipſe eſt amicus
meus, filiæ Ieruſalem [17] Quò abiit Di-
lectus tuus, ô pulcherrima mulierum?
quò declinauit Dilectus tuus? & quære-
mus eum tecum.

PARAPHRASIS.

VTVT ſeſe res meæ habebant, gau-
debam ſaltem iſtud me deſide-
rium in Adoleſcentulis iam con-
uiuis meis inuenire, mihique occa-
ſionem præberi dilectiſſimi mei Sponſi lau-

des deprædicandi. In hunc ergo modũ cum non tam deſcribere quã laudare cœpi. DILECTVS MEVS CANDIDVS ET RVBICVNDVS eſt: permixtas liliis roſas dixeris. Nam & ab omni maculâ immunis, nihilominùs manifeſtiſſima amoris ſimul & fortitudinis indicia præfert. Eſtque ELECTVS EX MILLIBVS; vt in vtroque, candore nimirùm illo & rubedine, parem illi non ſit inuenire. Vt autem de eius ornatu aliquid dicam, qui in ſingulis eius partibus reperitur: CAPVT EIVS AVRVM OPTIMVM eſt, quod nec terrâ obrutum deſtruitur, nec conſumitur igne. Caput enim eius ipſa Diuinitas (nimirum caput Chriſti Deus) quæ nec incarnatione quidquam detrimenti capere poteſt, nec in paſſione aut morte vel minimùm poteſt alterari. COMÆ EIVS SICVT ELATÆ PALMARVM. Elatarum nomine cortices ſiue vaginulas illas ſignifico, quibus flores, aut inchoati palmarum fructus includuntur. Palmam verò victoriæ ſymbolum eſſe nemo neſcit. Comæ itaque iſtæ quibus caput tegitur, id eſt opera quæ ex Diuinitate pretium & valorem conſequuntur, de omnibus hoſtibus triumphant: cuius victoriæ nobiſcum etiam fructus voluit eſſe communes. Sunt
Thren.4. v.1. etiam comæ iſtæ NIGRÆ QVASI CORVVS. Liberet hîc exclamare: *Quomodo obſcuratum*

eſt

eſt aurum, mutatus eſt color optimus? quid enim nitidiſſima columbula ſimile habet rapaci coruo? Sed enim noſtrâ cauſſâ cum iniquis reputari voluit. Neque diſplicere nobis poteſt deformitas, quæ ſolum noſtri amorem ſpirat; quandoquidem nos ipſæ ô nobiles Filiæ Ieruſalem, liuore eius ſanatæ ſumus. OCVLI EIVS, id eſt prudentia illa & prouidentia, quibus totum iſtud vniuerſum regitur, SICVT COLVMBÆ ſunt, ſine felle, ne quis fallacias ab illâ ſimplicitate ſibi pertimeſcat. Suntq́ue SVPER RIVVLOS AQVARVM, quaſi in ripâ ſedentes; vbi immotæ videntq́ue & notant omnia præterlabentia, neque vt anates aut ſimilia animalia vndis innatant, cumq́ue illis defluunt. Sed & LACTE SVNT LOTÆ: nam licet diuina eiús prouidentia in omnibus laude digniſſima ſit; maximè tamen commendatur ab illâ curâ, quam circa animas ſaluandas & lacte paſcédas habet. Ornantur itaque oculi iſti lacte, quod in noſtram ipſe nutritionem effundit; ET RESIDENT IVXTA FLVENTA PLENISSIMA, vt benignitatis eius inexhauſti eſſe intelligantur theſauri. GENÆ ILLIVS, id eſt, familiaris cum viris ſanctis conuerſatio, blandior quàm vt cuiquam ſine experientiâ veriſimile fiat, ſunt SICVT AREOLÆ AROMATVM, CONSITÆ A PIGMENTARIIS, in qui-

bus & ars, & natura ſtudium ambæ ſuum coniungere videntur. Neque enim quidquam in ſummâ rerum affluentiâ etiam ab ingenio ad inueniendum fertiliſſimo excogitari poteſt, quod cum illâ delectatione, quę à Deo habetur, poteſt comparari. LABIA EIVS, quæ ipſe in blanda pacis oſcula reſerat, ſunt mera LILIA DISTILLANTIA MYRRHAM PRIMAM: cùm operum ſuorum fructum nobis amicabiliter & blandè communicat; idque ſine omni noſtro graui incommodo, imò & non rarò cum maximâ voluptate percipientis. MANVS ILLIVS beneficæ & munificæ, TORNATILES ſunt, & ad motum expeditæ; atque AVREÆ ac charitatis operibus inhærentes, & PLENÆ HYACINTHIS: ſcopus enim earum eſt, in æternitate cælum, in fragili hac vitâ eiuſdem ſpem & quaſi arrhabonem conferre. VENTER EIVS (intellige omnem abdominis capacitem eâque contenta, puta ventriculum, hepar, renes, lienem, inteſtina, & ſimilia) ille, inquam, venter EBVRNEVS eſt, & DISTINCTVS SAPPHIRIS; immaculatus, & ſimul ſolidus. Certum autem eſt, vbi illæ partes nutritioni ſanguiniſque confectioni, ac ſimilibus vſibus deſtinatæ, firmi ſunt roboris, cibum, licet aliàs minùs congruum, faciliùs feliciuſque digeri, & ipſo etiam partium

tium robore emendari poſſe. Pari ratione etiam Sponſus meus non tantùm bona hominum opera, verùm etiam mala, quin & ipſa peccata alicui bono vſui poteſt accommodare : quod tum maximè manifeſtabitur, cùm æternitatem ingreſſis, iudiciorum eius arcana patebunt. Porrò CRVRA ILLIVS, firmitas potiſſima corporis, COLVMNÆ MARMOREÆ ſunt, & ſolidiſſimæ, adeò vt nullum de lapſu poſſit eſſe periculum: QVÆ & FVNDATÆ SVNT SVPER BASES AVREAS, vt eadem ſit pedum in eo & capitis dignitas, nihilque ignobile, nihil minùs ſolidum, in quo de lapſu poſſit timeri periculum. Quòd ſi verò de corporis proceritate & ſtaturâ quæratur; SPECIES EIVS VT LIBANI eſt, magnifica, alta, ac verè heroica: ipſe etiam eſt ELECTVS VT CEDRI; inter omnes alios ita præcellens, quantum inter alias arbores proceriſſimæ cedri: alius fortè diceret,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Deinde, GVTTVR ILLIVS SVAVISSIMVM eſt, blando cantu & ſuaui oratione non in perniciem alliciens, ſed ad ſalutem veram inuitans. Vt verbo concludam, TOTVS DESIDERABILIS eſt : quare, ſi quæ anima minùs eius amore ſaucia ſit, id ex eius ſolâ ignoratione prouenit ; neque enim quiſ-

quam eum ſimul & noſſe poteſt, & nō amare. TALIS EST DILECTVS MEVS, & quod accedit ad omnia, vt magis me ad amandum inflammet, ET IPSE EST AMICVS MEVS, FILIÆ IERVSALEM, amore mei intimè accenſus. Eſto, celauerit ſe aliquantiſper à me, confidenter tamen dico: Non minùs amari me, quàm me amare ſum certa. Quòd ſi ergo ſincerus amor mutui extorquendi vim habet, nihil cauſæ erit, quò minùs eum vel ardentiſſimè depeream. Non leuiter hac oratione meâ inſtigatæ Adoleſcentulæ, etiam ipſæ eius cognoſcendi deſiderio tactæ fuerunt: itaque expiſcari cœperunt, quanam ſibi potiſſimùm inſiſtendum foret viâ ad ipſum inueſtigandum. QVO ABIIT DILECTVS TVVS Ô PVLCHERRIMA MVLIERVM? dicebant; & repetitione deſiderium ſuum magis manifeſtantes, QVO DECLINAVIT DILECTVS TVVS? repetebant, ET QVÆREMVS EVM TECVM. Hoc erat, quod Sponſus à me, quod ego ab illis fieri diu optaueram, vt nimirum malorum illorum excubitorum iniuriis ſpretis, mecum ad ipſum requirendum etiam ipſæ in viam ſeſe incenſo cum animi deſiderio darent.

NO-

NOTÆ.

DILECTVS MEVS CANDIDVS ET RVBICVNDVS.] *S. Iustus Orgelitanus:* Candidus in virginitate, rubicundus in passione: sicut & Propheta dicit de eodem; Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Edom sanguis interpretatur, & idcircò ab effusione sanguinis rubicundus, iste formosus in stolâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. *Isa. 63. v. 1.*

Tres Patres apud Theodoretum: Dilectus meus, *** quantum ad humanitatem spectat, candidus est, & purus ab omni peccato: rubicundus, vt qui proprium sanguinem in cruce pro nobis effudit.

S. Gregorius Magnus: Candidus & rubicundus Christus esse perhibetur, quia nullum omnino peccatum faciens iustitiæ pulchritudinem ex integro tenuit; & tamen tamquam peccator esset, ad mortis passionem accessit, cui per Prophetam dicitur: Quare ergo rubrum est indumentum tuum? *Vide S. Hieronymum lib. 14. in Isai. cap. 53. & in Epitaph. Paulæ.* *Isa. 63. v. 2.*

ELECTVS EX MILLIBVS.] *Venerabilis Beda rationem reddit huius dicti ex eo quòd hic solus audire meruit à Patre:* Hic est filius meus Dilectus, in quo mihi benè complacui. *Sed S. Gregorius mauult hîc respici eò, quò in præcedentibus:* Quia, *inquit*, ex totius humani generis massâ nullus sine peccato reperitur, ipse verò non solùm sine peccato fuit, sed & peccatores, suâ iustitiâ, Sanguine redemit. *Theodoretus hæc reuocat ad Psal. 44. vers. 3.* Speciosus formâ præ filiis hominum. *Matth. 17. v. 5.*

CAPVT EIVS AVRVM OPTIMVM.] *Anſelmus in hunc locum ita*: Caput eius, id eſt Diuinitas, quæ eſt caput Dominici hominis, eſt aurum optimum; id eſt, Diuina ſapientia optima & perfecta, per quam fecit omnia.

Richardus de S. Victore: Caput eius eſt eius Diuinitas, quia caput Christi Deus eſt: quod caput aurum optimum eſt, quia Diuinitatis bonum, omnibus quæ ab eâ facta ſunt, antecellit. Hoc eſt aurum terræ viuentium, & aurum terræ illius optimum eſt.

S. Gregorius lib. 34. *Moral. cap.* 13. Sponſi caput aurum dicitur, quia eius Humanitas ex Diuinitatis ſuæ nobis claritate principatur. *Videri etiam poſſunt Philo, Iuſtus Orgelitanus, Rupertus Abbas, & Beda in hunc locum.*

COMÆ EIVS SICVT ELATÆ PALMARVM.] *Richardus*: Elatæ palmarum ſunt ſpatulæ, id eſt rami productiores, ſemper ad excelſa tendentes. *** Palma inferiùs aſpera eſt, & arctioribus corticibus obuoluta, ſuperiùs tam viſu quàm fructu pulchra & ampla. Sic membra Christi inferiùs dura agunt, & aduerſa patiuntur, & ſuperiùs in oculis Dei pulchra ſunt & fructuoſa. Per dura verò corporis ſe purgant, & proficiunt ad pulchritudinē animæ, & ſublimitatem ſpiritualem. *** In imis vita illarum quaſi multis corticibus inuoluitur, dum innumeris tribulationibus anguſtantur: in ſummis verò quaſi pulchræ viriditatis foliis, amplitudine retributionis dilatantur.

NIGRÆ QVASI CORVVS.] *Honorius Auguſtodunenſis, modo ipſius ſit libellus cui titulus eſt Sigillum B. Mariæ*: Comæ eius ſicut palmæ elatæ, id eſt, ſpinis

ſpinis ad noſtram victoriam coronatæ: quaſi coruus nigræ, id eſt, cum ſceleratis deputatæ.

OCVLI EIVS SICVT COLVMBÆ.] *Philo Carpathius, Theodoretus, & Tres apud eumdem Patres oculos explicant, quaſi chariſmata & dona Spiritus ſancti, quibus diligentiſſimus Sponſus ſponſæ ſuæ prædilectæ proſpicit:* quæ, *vt Philo ait*, rectè columbinis oculis comparantur, vti eſt in Euangelio; de quibus oculis & Zacharias ſentire videtur, cùm dicit: Hi ſeptem oculi Domini ſunt, qui diſcurrunt ſuper vniuerſam terram. *Theodoretus notat oculos Sponſi non comparari columbinis oculis, ſed ipſis columbis. S. Auguſtinus lib. 83. Quæſtionum, quæſt. 52. oculos Dei vim cognoſcitiuam appellat. Caſſianus lib. 8. Monaſticarum inſtitut. qui eſt de ſpiritu iræ, cap. 4.* In oculis Dei immenſitatem perſpicaciæ quâ vniuerſa perluſtrat ac perſpicit, & quòd nihil eum ex his quæ à nobis geruntur, gerendáve ſunt, ſeu cogitantur, lateat, ſcire poſſumus. *Quòd autem columbæ ſimplicitatem & bilis expertem innocentiam ſignificent, non opus eſt probare.*

SVPER RIVOS AQVARVM.] *Theodoretus*: Quia aſſiduè ad Baptiſmi largitionem reſpiciunt oculi eius, expectantes eos qui ſalui fiunt, & ſalutem omnium expetentes ſuper plenitudines aquarum.

QVÆ LACTE SVNT LOTÆ.] *Idem*: Alios enim lacte nutriunt, qui eo indigent cibo; alios verò, qui in peccato inueterati ſunt, reficiunt ac renouant, conſidentes ſuper plenitudines aquarum, & eas ſanctificantes.

ET RESIDENT IVXTA FLVENTA PLENISSIMA.] *S. Gregorius Magnus*: Quid per fluenta pleniſſima, iuxta quæ reſident, intelligimus, niſi ſacræ Scri-

Scripturæ profunda & arcana dicta, quæ decerpimus, quibus nos reficimus, dum ea legendo vel audiendo haurimus? Ad hoc etiam columbæ iuxta fluenta residere solent, vt volantium auium vmbram in aquâ videant, super quam se proijcientes vngues rapacium sic effugiant: sic sancti viri in Scripturâ sanctâ fraudes dæmonum prospiciunt; & ex descriptione, quam vident, quasi ex vmbrâ hostem agnoscunt: dumque se consiliis Scripturæ ex toto addicunt, vt videlicet nihil agant, nisi quod ex responso Scripturarum audiant, quasi in aquam se proijcientes hosti illudunt. Quæ flumina plenissima esse dicuntur, quia de quibuscumque scrupulis in Scripturis remedium quæritur, sine minoratione ad plenum inuenitur.

GENÆ EIVS SICVT AREOLÆ AROMATVM CONSITÆ A PIGMENTARIIS.] *Rupertus Abbas*: Quid per genas Dilecti, nisi exterior eius habitus intelligitur? genæ namque hominis enuntiant de illo, vnde & dicitur vultus idem locus, eò quòd per eum voluntas animi ostenditur. Ergo genæ eius, inquit, sicut areolæ aromatum; quia nimirum latentium in eo indices sunt gratiarum, virtutumque omnium: quæ ita intuentibus gratæ sunt, habentibus dumtaxat simplicem oculum atque beneuolum, sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs; id est, non casu complantatæ, sed benè dispositæ curâ diligenti delectabiles sunt, & aspicientium pariter lætificant visum, & olfactum.

Venerabilis Beda lib. 5. in Cant. Sicut labiis Domini verba, quæ loquebatur, ita in genis ipsa modestia & pietas simul & seueritas vultus exprimitur. * * * Quomodo enim areolæ decenter atque ordi-

ordinatè diſpoſitæ, magnam ſpectantibus & odoris & aſpectus ſui gratiam præſtant; ita & apparens in homine mediator Dei & hominum, virtutum ſiue doctrinæ ſuæ dulcedine præſentes illuſtrabat, & famâ ad ſe pertrahebat abſentes. *Videri etiam poteſt Aponius hîc, qui genas illas de interiori exterioriq́ue ſanctimoniâ exponit.*

LABIA EIVS DISTILLANTIA MYRRHAM PRIMAM.] *S. Ambroſius Serm.* 18. *in Pſal.* 118. Labia eius lilia ſtillantia myrrham primam: per myrrham enim paſſionis vnguentum, & reſurrectionis gratia declaratur, quæ rediuiuum vitæ odorem reſuſcitatis mortuorum viſceribus infundit. Meritò igitur alloquij eius accipiens ſuauitatem, exclamans Sponſa teſtatur: Fauces eius dulcedines, & totus deſiderium. *Et lib. de Inſtit. virgin. cap.* 15. *ita monet:* Eſto mitis, humilis, atque manſueta, vt in te ſicut lilium germinet Chriſtus: de quo & alibi habes; Labia eius lilia ſtillantia myrrham plenam, id eſt, qui Chriſti paſſionem loquuntur, & ſuo ore concelebrant, & mortificationem eius in ſuo circumferunt corpore. Chriſti lilia ſunt ſpecialiter virgines, quarum eſt ſplendida & immaculata virginitas.

MANVS ILLIVS TORNATILES.] *S. Gregorius Magnus:* Quid per manus Chriſti deſignatur, niſi opera ſancta, quæ in mundo geſſit, & quæ nobis imitanda proponuntur.

Theodoretus: Manus eius virtutes vocat, quæ in actione conſiſtant, quas omnibus officiis ſigillatim ita diligenter excoluit, vt inde velut concentus quidam reſultaret.

S. Iuſtus Orgelitanus: Manus Chriſti tornatiles,

quia

quia ad omnē bonum ſemper paratæ. *Videri poſſunt Beda, Rupertus, & alij.*

AVREÆ.] *S. Gregorius Papa:* Aureæ, quia quidquid inter homines operabatur exteriùs, id interiùs ex diuinitatis pulchritudine diſponebatur. *Venerabilis Beda:* Manus eius aureæ, quòd virtutes, quas in homine geſſit, diuinitus eſſe patratas nemo fidelis ignorat.

PLENÆ HYACINTHIS.] *S. Gregorius:* Quid per hyacinthum, qui valdè pretioſus eſt lapis, niſi munus retributionis æternæ deſignatur? Manus ergo Sponſi plenæ hyacinthis eſſe dicuntur, quia quicumque eius opera pio corde imitantur, felicitatis æternæ muneribus in retributione ditantur. *Idem habet & Beda.*

Cōmentarius in libros Regum S. Eucherio adſcriptus, ſed malâ fide, vt P. Andreas Schottus meus oſtēdit; is in quā Commentarius in lib. 3. Reg. c. 15. totum hunc locum ita exponit: Tornatiles ſunt manus eius, quia apparens in carne, ſanitates & miracula, quæcumque voluit, abſque omni morarum tarditate, abſque vllis errorum ambagibus Dei Virtus & Sapientia perfecit. Aureæ ſunt, quia ea quæ foris verbo iuſſit, intus diuinâ plenus potentiâ dedit. Plenæ ſunt hyacinthis, quia ad gloriam Patris, vniuerſa quæ fecit, retulit, & per opera quæ fecit, noſtros ad quærenda cæleſtia ſenſus erigit.

VENTER EIVS EBVRNEVS, DISTINCTVS SAPPHYRIS.] *S. Iuſtus Orgelitanus per ventrem intelligit prædicātores, qui credentes in fide parturiunt. quod expoſitioni etiam noſtræ plane quadrat: nam & cibum bene ingerere, ingeſtumque vt optimè digeratur allaborare, vtrumque id omnino eiuſdem artis eſt.*

CRV-

CRVRA ILLIVS COLVMNÆ MARMOREÆ, QVÆ FVNDATÆ SVPER BASES AVREAS.] *Rupertus crura Sponsi exponit, vt sint illa quæ alibi dicūtur viæ Domini: de quibus legitur Ps. 24.* Vniuersæ vię Domini misericordia & veritas. *Crura autē hæc ait dici colūnas marmoreas, id est, rectissimas & firmissimas esse: ita vt nec infirmari possint, nec reprehendi. Bases verò aureas ait esse consilia diuinæ Sapientiæ. Et concludit, loquendo de Christo Domino:* Stabant inflexibilia crura eius tamquam columnæ marmoreæ super bases aureas: id est, non qualis esset humanitatis suę voluntas, sed diuinæ iustitiæ rationes attendebat.

Idem istud paulò fusiùs exposuit Venerabilis Beda hisce verbis: Crurium Domini vocabulo itinera incarnationis eius, quibus ad nostram venire salutém dignatus est, insinuantur; quæ benè columnis marmoreis conferuntur, quia & fortia sunt, & recta. Quid enim marmore fortius? quid est columnâ directius? Annon firmitatem marmoris in cruribus eius conspexit Psalmista, cùm ait: Et ipse *Psal.* 18.
tamquam Sponsus procedens de thalamo suo, ex- *v.* 6.
ultauit vt gigas ad currendam viam, *&c.* Annon & rectitudinem vidit columnarum, cùm rursus idem dixit: Iustus Dominus in omnibus viis suis? * * * *Psal.* 144.
Bases aureæ ipsa sunt consilia diuinæ prouisionis, *v.* 17.
quibus æternaliter ante sæcula dispositum est omne quod temporaliter in sæculo crearetur: in quibus & ipsa Saluatoris nostri incarnatio, & nostra in illo salus prædestinata est.

SPECIES EIVS VT LIBANI, ELECTVS VT CEDRI.] *Venerabilis Beda ibidem:* Quomodo Libanus mons Phœnicis famosus est altitudine, atque amplitudine insignis: ita Dominus noster, omnibus

qui de terrâ orti sunt, iure gratiæ sublimioris antecellit. Sicut idē mons nobilium est ferax arborum: ita ille omnes Sanctos suo præsidio, ne ad ima defluant, extollit; atque in se radicatos, ne à ventis tentationum concuti valeant, conseruat. Vt cedrorum pulchritudini, fortitudini, sublimitati, atque odori omne siluarum decus cedit: sic Dilectus meus speciosus formâ præ filiis hominum, &c. * * * Notandum, quòd idem Dilectus & Libano, qui ligna insignia gignit, & Cedro, quam inter alia ligna Libanus ipse gignit, assimilatur: quasi vnus idemque ligna gignat, & portet; atque inter ligna geratur, atque à se ipso portetur. Dominus etenim noster IESVS CHRISTVS, cùm omnes electos ab initio mundi vsq; ad finem suæ gratiâ Diuinitatis ad vitam gignat, nutriat, ferat; sese quoque inter homines, quando voluit, hominem fecit, & ipsum hominem gratiâ sui spiritus, tametsi longè altiùs ceteris, impleuit. *Videri etiam potest sanctus Gregorius Magnus in hunc locum, & Philo Carpathius.*

GVTTVR ILLIVS SVAVISSIMVM.] *Idem Philo.* Incredibile nescienti est, quàm suaue sit de Deo Max. ex Sacris literis meditari ac loqui: in his enim legendis peccatores de propriis erratis admonentur; quoque modo se castigent, corrigant, ac emendent, apertissimè docentur: & quidquid homines alter alteri vel dicere verentur, vel ignorant, hoc Sacræ literæ vel sanctissimè audent, vel vberrimè nouerunt.

S. Gregorius Nyssenus Hom. 14. Partem illam, quæ sub mento est, guttur appellare consueuimus: à quo sonum conformari tradunt, dum allabitur huc quadam cum allisione spiritus ex arteriâ.

Quare

Quare cùm faui mellis sint præclari sermones, & sermonis sit instrumentum vox, cuius ortus est à gutture; fortasse ministros & interpretes sermonis, in quibus Christus loquitur, hac voce qui significari cogitat, à vero non aberrabit.

TALIS EST DILECTVS MEVS, ET IPSE EST AMICVS MEVS.] *Beda:* Quantò deuotiùs Ecclesia, siue anima quæque sancta diligit Deum, tantò familiariùs habet amicum Deum: nam qui adhuc præ infirmitate mentis, siue conscientiâ peccati, timore seruili diuina mandata cústodit; talis eum necesse est magis Domini quàm Patris vel Amici loco vocet: quia necdum ad Apostolicam illam perfectionem attingere potuit, quâ audire mereatur: Vos autem dixi Amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.

SECTIO VII.

Sulamitis inuento Salomone rursus ab eo recreatur, & laudatur.

TEXTVS, *ex cap.6.vers.* 1.2.3.4.

1 DILECTVS meus descēdit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. 2 Ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. 3 Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum

acies ordinata. 4 Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.

PARAPHRASIS.

NON longo iam vlteriùs labore opus erat ad Dilectum meum inuestigandum; apparuit statim quęsitus. Læta itaque & quasi triumphans exclamaui: DILECTVS MEVS DESCENDIT IN HORTVM SVVM AD AREOLAM AROMATVM: maximè subsistens circa religiosam nostram cõgregationem; VT PASCATVR IN HORTIS nostris dulcissimo sibi virtutum sanctarumq́ue actionum nostrarum pabulo, ET LILIA COLLIGAT ex purissimis nostris mentibus, tamquam ex floribus sibi pastoritio more coronam contexturus. Vt ergo multùm diuq́ue quæsitum ibi adesse deprehendi, non minori cum voluptate eum repperi, quàm anteà cum dolore aut desideraueram, aut quæsiueram. Iamq́ue præ gaudio me non capiebam, sed toto spiritu quasi in illum me transfundens, EGO DILECTO me MEO planè deuouebam. Nec ille cedebat amori: nam & vice versâ DILECTVS MEVS MIHI seipsum donare videbatur: quippe qui delicias suas esse ostendebat esse cum filiis hominum; vtpote QVI PASCITVR INTER LILIA, animasq́ue sibi deuotas pro cibo

cibo habet. Senſi deinde non alienati à me animi fuiſſe etiam tum Sponſum meum, cùm tam conſtanter ſeſe à me diſtineret; ſed, vt periti Medici ſolent, ſe non ſemper ad guſtum, verùm potiùs ad ſalutem propinare. Hoc nimirum voluerat Sponſus, vt ego conuiuas illos, quos adduxerat, fouerem, filiaſque Ieruſalem accenderem, vt & ipſæ magno cum animi ſenſu ipſum deſiderarent. Quo obtento, noluit ſuum erga me affectum vlteriùs diſſimulare. Poſt primos ergo primæ ſalutationis inter nos amplexus, verbis etiam amore pleniſſimis, PVLCHRA ES AMICA MEA, dicebat; neque in iſto tuo conatu, quod paulò antè metuebas futurum, vel minimùm deformata; ſed & multò formoſior quàm vmquam anteà mihi appares. Es etiam SVAVIS, ET DECORA SICVT IERVSALEM; neque mihi tantùm, ſed & filiabus eius ſpiritualibus gratiſſima: nam vt illis anteà dulce erat per vrbis Ieroſolymitanæ fora ac plateas diuagari; ita iam non minùs tuâ conſuetudine & doctrinâ delectantur. Quod verò ad hoſtes attinet, Eſto, vulnerauerint te, conati fuerint tibi detrahere: profectò virtute tuâ & tolerantiâ ita illos ſuperaſti, vt iam ipſis infernalibus turmis facta ſis TERRIBILIS VT CASTRORVM ACIES ORDINATA. Verùm quandoquidem paulò

longioribus tecum mihi iam verbis agendum erit, illud interim te præmonitam velim, ne dum inter nos agimus, impositæ tibi prouinciæ curam tuam deesse patiaris; vt nimirum adeò ex meo loquentis ore dependeas, vt aliarum, quas tibi pridem commisi, animarum immemor sis. Quare AVERTE interdum OCVLOS TVOS A ME ad creditum tibi gregem; QVIA IPSI, vt verum fatear, AVOLARE ME FECERVNT; vt ita quasi ablactata disceres vtilitatem proximorum tuæ spirituali voluptati præferre.

NOTÆ.

DILECTVS MEVS DESCENDIT IN HORTVM SVVM, AD AREOLAM AROMATVM, *&c.*] *S. Gregorius Magnus:* Ecclesiam visitans, ad eos maiori gratiâ venit, quos sanctis operibus & virtutum exemplis bonæ famæ odorem ex se proximis emittere agnoscit. In hortis pascitur, cùm multarum animarum virtutibus delectatur. Lilia colligit, cùm perfectos ab hac vitâ succidit.

Anselmus: De cognatione Angelorum suppliciter se humiliauit, carnem sumẽdo vtique ad cognationem hominum. Descendit, dico, ad areolam aromatum; id est, ad eos qui sunt areola, id est, qui sunt benè culta terra, & plantata secundùm voluntatem Dei. Areola, dico, aromatum, id est illi, qui proferunt Deo suauem odorem orationum & operum. Descendit, dico, ad hoc, vt pascatur, & delectetur in hortis, & lilia colligat; id est, vt assumat, & reponat

in ſecreta ſua, lilia; id eſt, candidatos in virtutibus: vel lilia colligat, id eſt, attrahat quoſdam in Eccleſiam ſuam, quos faciat lilia, id eſt, candidatos animi virtute.

EGO DILECTO MEO, ET DILECTVS MEVS MIHI.] *S. Thomas hîc:* Ego Dilecto meo in me ipſâ manſionem præſtabo, & Dilectus meus mihi: quia ipſe in me habitat, & me in ſe habitare facit, ſicut ipſe in Euangelio dicit: Ego in vobis, & vos in me.

Rupertus: Ego Dilecto meo: ſubauditur, peſſulum oſtij mei aperui, vocis meæ obſequium præbui; vt audirent, & non neſcirent filiæ Ieruſalem, qualis ipſe ſit. Dilecto, inquam, meo, qui paſcitur inter lilia: id eſt, qui corda munda, & caſta diligit corpora. Et Dilectus meus mihi: ſubauditur, vicem reddit cautionis, & beatificationis, *&c.*

Honorius: Ego Dilecto meo: ſubaudis, præparo locum in me manendi humilitate, & caſtitate: & Dilectus meus præparat mihi apud ſe locum receptionis. *Vide etiam S. Gregorium Nyſſ.*

PVLCHRA ES AMICA MEA, SVAVIS, ET DECORA SICVT IERVSALEM: TERRIBILIS, VT CASTRORVM ACIES ORDINATA.] *Aponius*: Pulchritudo in lenitate morum, ſuauitas in munditie cordis oſtenditur; decor autem in amore pacis, eò quòd Ieruſalem Viſio pacis interpretatur: terribilitas verò in veritatis & caſtimoniæ armis, quibus accincta anima non ſolùm nihil metuit, ſed in procinctu contra hoſtes ſuos etiam terribilitatem incutere probatur.

Anſelmus: Pulchram dicit ſecundùm hoc quòd habet tantam voluntatem eum agnoſcendi: ſuauem propter hoc quòd alios inuitat ad idem, non inuidens Sponſum ſuum alias habere amicas. Decoram

ram dicit ſecundùm opera. Sicut Ieruſalem, id eſt, ita pulchra ſicut Ieruſalem cæleſtis; & decora ſicut mater tua, ſcilicet Eccleſia illa, quæ te generauit, & educauit. Terribilis inimicis, vt caſtrorum acies, quia in te milito, & tu militas in ſeruitio meo, ſicut in caſtris militatur: & es ordinata per inſtitutionem Sanctorum.

AVERTE OCVLOS TVOS A ME, QVIA IPSI ME AVOLARE FECERVNT.] *Rikelius art.* 19. In his verbis ad inflammandum cor Sponſæ videtur Sponſus loqui per modum feruidiſſimi amatoris, ita deuicti amore ſuæ Dilectæ, vt eam non audeat intueri, ne ex illius inſpectione lædatur ex vehementiâ prædominantis amoris *** Auerte oculos tuos à me; id eſt, tam intensè te diligo, vt ardorem huius amoris pleniùs exprimere nequeam, niſi quaſi te exhortando, vt ceſſes ad tempus me intueri orando, meditando, pſallendo, contemplando; quia oculi tui pudiciſſimi columbini fecerunt me auolare, id eſt, ad tempus ſubtrahere me tibi, quantum ad dulcem conſolatoriamque præſentiam, vt fructuoſiùs quæras me.

SECTIO VIII.

Sulamitis in hoc ſtatu deſcribitur, & laudatur.

TEXTVS, *ex cap. 6, verſ. 4. 5. 6. 7. 8. 9.*

4 CAPILLI tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. 5 Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcen-

aſcenderunt de lauacro, omnes gemel-
lis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.
6 Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ
abſque occultis tuis. 7 Sexaginta ſunt
reginæ, & octoginta concubinæ, &
adoleſcentularum non eſt numerus.
8 Vna eſt columba mea, perfecta mea,
vna eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ.
Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimã
prædicauerunt; reginæ & concubinæ,
& laudauerunt eam. 9 Quæ eſt iſta quę
progreditur quaſi aurora conſurgens,
pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis
vt caſtrorum acies ordinata?

PARAPHRASIS.

ISTA quaſi præmonitione præmiſſâ, perrexit exhortatione & ſtatus mei commendatione animum meum inflammare, ad alacriter in incepto perſiſtendum. Quare verba ſua in hunc modum proſecutus eſt: Ne ſtatus tui ignoratione, Sulamitis, eam minoris facias quàm par ſit, néve priorem ſolitudinis quietem nimis anxiè requiras; operæ pretium erit, te benè intelligere, quid inter hanc quam modò agis vitam, & vmbratilem eam

priorem interſit. Principiò cogitationes tuæ, dictaque, & in quotidianâ viuendi ratione ædificatio proximi, nihilo minùs iam quàm vmquam anteà præclara ſunt ac laude digna: itaque vt olim, ita & nunc iiſdem ferè verbis de ipſis æſtimo: CAPILLI TVI SICVT GREX CAPRARVM, QVÆ APPARVERVNT DE GALAAD. DENTES TVI SICVT GREX OVIVM, QVÆ ASCENDERVNT DE LAVACRO, OMNES GEMELLIS FETIBVS, ET STERILIS NON EST IN EIS. SICVT CORTEX MALI PVNICI, SIC GENÆ TVÆ ABSQVE OCCVLTIS TVIS. Quare neque in capillis, neque in dentibus, neque in genis vllam formæ iacturam feciſti: omnia iſta talia ſunt, qualia erant, cùm mihi eſſent gratiſſima: & tamen in his tum laudum tuarum ſumma conſiſtebat. Quantus verò boni cumulus in nouâ hac viuendi ratione acceſſerit, vel hinc intellige, quòd in myſticâ meâ aulâ SEXAGINTA SVNT REGINÆ, ET OCTOGINTA CONCVBINÆ, ET ADOLESCENTVLARVM NON EST NVMERVS: has omnes adeò ſupergreſſa es, vt vnam te nulli earum iam vltrà poſſim comparare. VNA EST COLVMBA MEA, Sulamitis, PERFECTA MEA, VNA, inquam, EST MATRIS SVÆ Eccleſiæ verè filia, & in familiâ gubernandâ adiutrix. Hæc ELECTA eſt GENITRICI SVÆ, & ſola digna in-

inuenta, quæ aliis præficiatur: iamque eò processit, vt supra inuidiam sit. VIDERVNT EAM FILIÆ, adolescentulæ, ET BEATISSIMAM PRÆDICAVERVNT eam. viderunt & REGINÆ ET CONCVBINÆ, ET LAVDAVERVNT EAM. In quo obiter iudicio aduerti notarique potest, imperfectiores adolescentulas in sanctis hominibus felicitatem mirari; at verò prouectiores eorumdem virtutes laudare. Magnum reuerà est ad eum modum omnium bonorum calculo laudari. Sed & abs re non erit audire quibus te titulis istæ commendent: QVÆ EST ISTA, exclamant, QVÆ PROGREDITVR tam àltè abrepta, vt conspectum mortalium eludere videatur, iamque vix agnosci queat, neque tamen etiam nunc ad vlteriora progredi cessat: cumque vlteriùs nulla sociarum superanda restet, ipsa se superat: quin & omnium aliarum dotes ipsa iam in se est consecuta, & omnibus omnia facta est. Etenim cum adolescentulis est QVASI AVRORA CONSVRGENS; dubiâ quidem adhuc luce, quæ tamen statim subsecutura clariora spondet, & solem prænuntiat. Est cum concubinis PVLCHRA VT LVNA; vt interdum toto plena orbe alterum videatur solem mentiri, aliàs in cornua se contrahens, nonnumquam etiam silens, ac delitescens: quæ mutationis ratio,

illis qui in primo amantium gradu ſunt, optimè quadrat. Deinde eſt cum reginis ELECTA VT SOL, & lumine, & calore, omnia quæ reſpicit, exornans & fecundans. At hoc vno omnes excedit, quòd in ſuorum defenſionem hoſtibus ſe fortiter obiicit; eorumque inuaſiones, quaſi murus pro domo Dei conſtituta, omneſque inſidias & machinationes aut repellit, aut in ſe receptas infringit. Itaque iam hoſtibus facta eſt TERRIBILIS VT CASTRORVM ACIES ORDINATA; ordinatione ſuâ indicans, ipſam in mediis bellorum turbis ac tumultibus ita ſe pacatam habere, vt nihilo præterquam rationis rectę dictamine permoueatur.

NOTÆ.

CAPILLI TVI SICVT GREX CAPRARVM, *&c.*] *Quæ de capillis, dentibus, & genis dicuntur, ea nullo alio modo hîc accipiuntur quàm ſuprà Part. 2. Sect. 3. quapropter noſtra hîc explicatio nouâ aut probatione aut expoſitione non eget.*

SEXAGINTA SVNT REGINÆ, ET OCTOGINTA CONCVBINÆ, ADOLESCENTVLARVM NON EST NVMERVS.] *S. Gregorius Magnus:* Sexaginta reginæ eſſe dicuntur, quia dum decem præcepta in hac vitâ operantur (ſæculum autem hoc ſex diebus operationis euoluitur) in eis quaſi per ſenarium numerum denarius numerus replicatur. *Honorius Auguſtodunenſis his addit, quòd ſenarius numerus perfectionem ſignificet, propterea quòd ſuis con-*

constet partibus. S. Gregorius in octonario numero resurrectionis symbolum inuenit: post sex enim dies laboris, & vnum quietis, restat octauus resurrectionis.

Rupertus paulò fusiùs ita: Reginæ rectè dicuntur illæ animæ, quæ perfectæ charitatis sunt; in eo videlicet, quòd eumdem Dilectum tuum sectantes, nihil terrenum, sed ipsum solum quærunt. Nec propter metum gehennæ, sed propter amorem vitę tuæ æternæ peccatum fugiunt; virtutemque amando, iniquitatem oderunt. Concubinæ verò sunt illę, quæ sub timore seruiunt, nec eius perfectionis, vt supra præceptum velint addere consilium, scilicet hoc, vt relictis rebus omnibus solum sequantur hunc Dilectum: habentes quidem in fundamento Christum, sed nihilo minùs amantes aliqua, quæ sunt huius mundi. Quid porrò volunt sibi isti numeri decem, senarius & octonarius? valétne aliquod nomen Scripturæ huius, quod est שִׁיר הַשִּׁירִים hoc est, Canticum canticorum? valet vtique quia primam symphoniam efficiunt, quam Musici vocant diatessaron. Est enim habitudo, quam epitriton, id est, sesquitertiam vocant; quia maior numerus, videlicet octoginta, minorem numerum, scilicet sexaginta, in se continet totum, & eius insuper tertiam partem, id est viginti: & hæc proportio numerorum in Musicâ sex reddit diatessaron, quod interpretatur De quatuor; & ideò sic vocatur symphonia hæc, quia de quatuor chordis siue vocibus constat, cum duobus tonis habens semitonum. *Deinde paucis interiectis:* Perfectus [*numerus*] & perfectorum primus est senarius, quia suis ex partibus construitur: habet enim dimidiam, id est tres; tertiam, id est duo; sextam, id est vnum; quæ

quæ partes simul acceptæ senarij summam constituunt. Porrò octonarius in suis partibus seipso minor est: habet enim dimidiam, id est quatuor; & quartam, id est duo; & octauam, id est vnum; quæ partes simul collectę septenarium constituunt, minorem videlicet summam ipso octonario, cuius partes sunt. Claret igitur & ista caussa, cur senarius Reginis, & octonarius congruat concubinis, potiùs quàm octonarius Reginis, & senarius concubinis. * * * *. Adolescentulæ dicuntur rectè, quæ nondum saltem ad timorem Dei profecerunt; & propter hoc custodiâ indigent, vel magisterio hominum, qui necdum intus diuini timoris vel amoris habent magisterium. Et multæ ex huiusmodi, quod valdè pauendum est, inueniuntur extra numerum, quia de adolescentiâ numquam ad perfectam ætatem perueniunt.

S. Gregorius: Quid per adolescentulas has, nisi vagas animas intelligimus, quæ dum vana huius mundi sectantur, quæ diligunt, numerum electorum excedunt? * * *. Quia dum per vanitatem, quam diligunt, in numerum electorum non currunt, extrà remanentes, quasi in cognitionem diuinam non veniunt.

VNA EST COLVMBA MEA, PERFECTA MEA, *&c.*] *Theodoretus de Reginis, concubinis, & adolescentibus ferè vt nos; at de vnâ electâ verba faciens, ita loquitur:* Omnibus ipsa præstitit; quippe quæ nec spe præmij, nec metu supplicij, sed Sponsi desiderio ad summum philosophiæ fastigium aspirarit. Atque vtinam nobis idem concedatur, vt diuinâ gratiâ adiuti ad Sponsæ perfectionem perueniamus! Quod si consequi non poterimus; inter Reginas

saltem

ſaltem numeremur. At ſi ab ipſis quoque defecerimus, haud procul certè à concubinis recedamus. Sin hoc etiam gradu fuerimus indigni, ſaltem ad numerum adoleſcentularum adſcribamur, puramq́ue pietatis profeſſionem conſeruemus. Neque omnino Sponſi priuemur ſocietate, ſed per eius gratiam ipſius pulchritudine perfruamur.

QVÆ EST ISTA QVÆ PROGREDITVR QVASI AVRORA CONSVRGENS.] *S. Gregorius Magnus:* Hi [*recenter à malo conuerſi*] procul dubio, velut aurora, conſurgentes progrediuntur: quia ſubitò noctem peccati euacuantes, ad lucem magis ac magis dilatantur. Sic anima, quę priùs erat in tenebris, nunc ſplendens apparet, & quæ etiam in ſemetipſâ obſcurabatur, nunc aliis lumine ſanctæ operationis reſplendet.

PVLCHRA VT LVNA] *Idem:* Luna dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonſtrat. Sic nimirum quæque anima, quæ tenebras dimittit, & in ſanctam operationem ſe extendit, dum exemplum benè operandi tribuit proximis, quaſi lucem tenebreſcentibus oculis ſpargit.

ELECTA VT SOL.] *Idem:* Dum verò anima magis ac magis creſcit, & de die in diem per conſuetudinem operis lumen iuſtitiæ tam perfectè accipit, vt etiam bonis exempla imitationis præbeat; quæ priùs ſolis peccatoribus imitanda apparebat, profectò iam luna ſol efficitur: quia quæ in nocte errantibus nunc lucebat, modò in die ambulantibus lumen veritatis manifeſtat.

TERRIBILIS VT CASTRORVM ACIES ORDINATA.] *S. Bernardus Serm. 60. paruo explicat per auroram*

roram virtutem humilitatis, per lunam castitatem, charitatem verò per solem. Et concludit his verbis: In eo autem, quod sequitur, terribilis vt castrorum acies ordinata [*intelligi potest*] discretio mater virtutum, per quam terrentur & fugantur dæmones, acquiruntur & conseruantur virtutes.

Tres Patres apud Theodoretum ita alias de Sulamitide loquentes introducunt: Verè admiranda est magistra nostra. Nam discipulis suis, quæ per purgationem à tenebrarum operibus recesserunt, sed per cognitionis illustrationem nondum ad iustitiæ opera peruenerunt, vt docendi ratio requirit, sese accommodat; ac præbet quasi lucem matutinam, ea celans mysteria quæ nondum valent comprehendere, atque illa tradens quibus percipiendis sunt idoneæ, futurarumque pœnarum minis eas ad fidem atque obedientiam reducens. Illis verò, quæ cùm veritatis crediderint prædicationi, à malitiæ tamen operibus & tenebrarum nondum sunt purgatę, ita se exhibet bonam, vt pœnitentiâ quasi lunæ quamdam lucem suppeditans, ignorantię noctem ab eis repellat. At cum animabus illis, quę virtute præditę tamquam in die decorè ambulant, se electam gerit, qualis est sol, qui tum amplitudine tum splendore ceteris cęli luminibus antecellit, & verè cognitionis lucem subministrat; atque ita stupore ac terrore afficit se intuentes, vt instructa atque ordinata agmina Angelorum.

SE-

SECTIO IX.

Sulamitidis cura, & zelus animarum.

TEXTVS, *ex c.6.v.*10. 11.12. *& cap.7.verſ.*1.

10 DESCENDI in hortum nucum,
vt viderem poma conuallium,
& inſpicerem ſi floruiſſet vinea, &
germinaſſent mala punica. 11 Neſciui:
anima mea conturbauit me propter
quadrigas Aminadab. 12 Reuertere, re-
uertere Sulamitis: reuertere, reuertere,
vt intueamur te.
1 Quid videbis in Sulamite, niſi cho- CAP. VII.
ros caſtrorum?

PARAPHRASIS.

SATIS hactenus didiceram, meum non eſſe plauſum captare, ſed potiùs dignas plauſu ac laude res opere exequi. Quare à Rege digreſſa, cœpi in earum, quarum mihi cura impoſita erat, profectum inquirere: & primùm quidem DESCENDI IN HORTVM NVCVM: hæ enim in extremo agri poſitæ, ventorum tempeſtatumq́ue impetus maximè excipiunt; iniuriiſq́ue, plus quàm vllæ aliæ arbo-

arbores, expoſitæ videntur. Nimirum animas illas, quæ tentationibus magis obnoxiæ ſunt, ac de lapſu ampliùs periclitantur, diligentiâ potiori inuiſendas putari. Nec temerè dico me deſcendiſſe: quæ enim in depreſſiori loco commorantur, & ad altos virtutum gradus non aſcendunt, hoſtium oppugnationes maximè perſentiſcunt. Veni etiam eôdem, VT VIDEREM POMA CONVALLIVM: quæ nimirum in vitiorum cœno hærent, aut ſaltem illi periculo maximè vicina ſunt. Deinde tranſii, vt INSPICEREM SI FLORVISSET VINEA: quomodo nimirum ſanctæ meditationis vſus, in vini modum calefaciens, ſe haberet in prouectioribus; vtrùm ſpes affulgeret vini in bonâ copiâ aliquando prouenturi. Denique etiam conſideraui, ſi GERMINASSENT MALA PVNICA: in quibus, vt iam antè dictum eſt, vitæ & conſuetudinis ac conuerſationis Religioſæ ſymbolum continetur. Hæc omnia & viſitaui ſedulò, & inſpexi accuratè, vt notarem ecquid animæ mihi creditæ in bono profeciſſent. Equidem licet neutiquam oſcitanter omnia perluſtraſſem, NESCIVI tamen diſcernere, vtrùm quidpiam in melius mutaſſent, nec ne: & tamen in ſpirituali vitâ aut progrediendum eſt, aut regrediendum; neque enim tertium hìc datur. Quare omnino

no metuebam, ne à bono ad malum relaberentur. Profectò ANIMA MEA CONTVRBAVIT ME ingenti zelo. Fueram quidem hactenus neque perfunctoriè neque negligenter occupata in deordinatis animi passionibus ordinandis; hac tamen de caussâ grauiùs concussa ac ferè labefactata mea fuit constantia. Mouebar, & sanè grauiter mouebar, timebamque ne omnis meus hucusque conatus incassum assumptus videretur; idque PROPTER QVADRIGAS AMINADAB, quod nomen populum spontaneam significat. At spontanei sunt illi affectus, qui sponte vt lolium aut zizanium nascuntur, cùm tamen herbæ bonæ, non nisi cum magno labore, aut serantur, aut custodiantur. Nihil hîc fecunditas agri iuuat: imò quò fertilius solum est, eò, si incultum iaceat, magis spinis sentibusque abundabit. Vt ergo subditas meas ad maiorem diligentiam excitarem, ab illis me auertere cœpi, quasi pertæsa laboris qui omnis in illis instituendis luderetur. Hîc illę, etsi parum hactenus, & non pro expectatione meâ profecerant, bona sua desideria non obscurè cœperunt indicare. Vt enim me tergà sibi obuertentem aduerterunt, quasi incepto destituram; sublatis simul vocibus, & ex ardore animi iterato sono, REVERTERE, REVERTERE SVLAMITIS, clamabant, RE-

VERTERE, VT INTVEAMVR TE. Dicere videbantur: Si talis tantæque Magiſtræ tam diligenti inſtructione adeò nihil profecimus; quid fiet, ſi eâ ſubtractâ nobis ipſis relinquamur? At ego, ne nihil dicendo omnem earum ſpem euerterem, ſingulis (nam tales admonitiones cor magis feriunt) ita locuta ſum: Ecquid tandem, deſes & ignaua, eſt quod in me ſperes te viſuram? QVID, VIDEBIS IN SVLAMITE, NISI CHOROS CASTRORVM? non diſces meo exemplo in otio torporem, in laboribus pigritiam, in difficultatibus ignauiam, in actionibus ſocordiam, in orationibus teporem, remiſſionem in mortificationibus, in moribus laſciuiam, in verbis leuitatem. Alios ludos aliaſque choreas ex hoc exercere aſſuefies, ſi me ſequi amas. Scito meas oblectationes eſſe, vt labores ſubeam, virtutes exerceam, hoſtes inuiſibiles ſuperem, ſedem paſſiones, edomem affectus, nouaſque de me ipſâ victorias quotidie referam. Hæc imitari ſi velis, abundè didiciſti; ſi neges, vidiſti nimium. Nec eſt quòd inpræſentiarum quidquam ampliùs à me expectes. Hæc locuta, ad Sponſum iterùm me contuli, ſperans fore vt animæ iſtâ obiurgatione magis quàm anteà in bonum excitarentur.

NO-

NOTÆ.

DESCENDI IN HORTVM NVCVM.] *Theodoretus:* Ostendit homines pios, quos diuina Scriptura Sponsam appellat, propriâ salute non esse contentos: neque illis satis esse, quòd ipsi soli nuptias optatas sint consecuti, sed totis viribus in eam curam incumbere, vt reliquos omnes homines ab infrugiferâ vitâ dimoueant, quò fertiles effecti, virtutis fructum ferant. *** Per hortum nucis præsentem intelligimus vitam, quæ cùm amara sit, & ærumnis atque laboribus plena, reconditum tamen habet virtutis fructum. Nam & nucis fructus, cùm & corticem extrinsecus priorem amarum habeat, alterum autem asperum & durum; intus tamquam in penu quodam nucleum esculentum continet reconditum, qui sine labore non potest extrahi. *Tres Patres apud eumdem eodem etiam modo hæc accipiunt.*

VT VIDEREM POMA CONVALLIVM.] *S. Iustus Orgelitanus:* Vt viderem poma conuallium, vt viderem fructus humillimæ in Ecclesiâ plebis, sicut in Psalmo canitur: Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborũ humiliabis. *Psal. 17. v. 28.*

Aponius: Vt viderem poma conuallium, hoc est lacrymas iustorum, quas pro exilio vel carcere omnium hominum, qui in inferno à diabolo, siue errore idololatriæ tenebantur captiui, fundebant. *Tres Patres apud Theodoretum etiam fere vt nos hunc locum accipiunt.*

ET INSPICEREM SI FLORVISSET VINEA.] *Aponius:* Vt inspicerem si flores agrorum cogitationum orirentur in eâ, per quos dignus fructus pœnitentię

adolescat. *S. Iustus Orgelitanus:* Vt probarem, si tantum profecisset Ecclesia, vt germinarent in eâ, qui ad martyrij perfectionem attingerent, & propter rubicundam Christi sui sanguinis effusionem pulchri essent. *Tres Patres:* Vt viderem rursus, an is qui in Euangeliis dixit, Ego sum vitis, in hac patientiâ appareat, sicut flos botri, vinum naturam obstupefaciens per diuinam gratiam producentis. Qui enim ipsam quoque naturam propriam per patientiam despicit, diuinitatis gratiam naturâ prestantiorem adipiscitur.

Et germinassent mala pvnica.] *Theodoretus:* In hac vitâ, ex variis virtutum officiis, quidam per translationem vites, quidam autem mala punica nominantur: nam alij charitatem colunt, & concordiam diligunt, animi sensu sic inter se coniuncti, vt mali punici grana coniunguntur: alij autem vacantes contemplationi, vinum patriis torcularibus dignum ferunt.

S. Gregorius: Vineæ florent, quando in Ecclesiâ filij recenter in fide generantur, & ad sanctam conuersationem quasi ad fructus soliditatem præparantur. Mala punica germinant, quando perfectè quique per exempla sua proximos ædificant; & in nouitatem sanctæ conuersationis per prædicationem, & bonorum operum ostensionem, inuitant.

Tres Patres: An (instar malorum punicorum, quibus cortex quidem extrinsecus adest astringendi vim habens, intrinsecus autem inest fructus gustantibus dulcedinem adferens) virtutes illæ timoris austeritate conseruatæ, gustantium autem animo spei in te dulcedine delectantes, nempe prudentia

dentia & ſimplicitas, ad ſimilitudinem fructus floreſcentis extarent in patientiâ.

NESCIVI.] *Idem:* Ad diſcipulos conuertens ſermonem[*Sponſa*]Deſcendi,inquit, ad vos ab arcanâ illâ ſpeculatione, quâ Sponſum meum in me ipſâ contemplor, vt viderem ipſum in vobis, quemadmodum dixi. Sed non nouit anima mea; nondum profectò illum in vobis perſpexi, quæ quidem adhuc perfectæ non eſtis ſecundùm Chriſtum.

ANIMA MEA CONTVRBAVIT ME PROPTER QVADRIGAS AMINADAB.] *S. Gregorius explicat quadrigas Aminadab*, quatuor Chriſti Euangelia in mundo currentia,in cordibus hominum feruentia;*quorum conſideratione ſi quis minùs mouetur, meritò confuſione & conturbatione dignus habeatur. Potuiſſet iſta explicatio noſtro etiam inſtituto accommodari. Verùm neque noſter conceptus ſine auctore eſt: etenim Aponius*, Aminadab, *inquit*, interpretatur linguâ Hebrȩorum,populus meus ſpontaneus. Hic ergo populus immundorum ſpirituum, qui impiorum ceruicibus inſident ad ſcelera perpetranda, per hoc quod factura eſt Dei, quàm diu voluit per libertatem arbitrij in ſanctitatis ſtare veſtigiis, populus Dei fuit; vbi electus, propriâ voluntate, relicto Rege ſuo ſpontaneus factus eſt.*quare etiam hic Auctor has quadrigas hoſtiles Deo agnoſcit.*

REVERTERE, REVERTERE SVLAMITIS: REVERTERE, REVERTERE, VT INTVEAMVR TE.] *Tres Patres*: Diſcipulæ dicunt ad Sponſam: Reuertere, reuertere,Sulamitis;reuertere,reuertere,& intuebimur te.Ab arcanæ contemplationis ſublimitate ad moralem quatuor generalium virtutum doctrinam deſcende; atque ex quadruplici earum ratione, nos

quæ perturbationibus adhuc mouemur, rege atque institue, ô Sulamitis; quæ ab omnibus perturbationibus libera, tranquillitatis & pacis nomen habes; & ea spectabimus in te, quæ per nostram imperfectionem in nobis adhuc non vidimus.

QVID VIDEBIS IN SVLAMITE NISI CHOROS CASTRORVM?] *Ijdem pergunt:* Quærit autem à discipulis Sponsa, ecquid in Sulamitide, quæ venit sicut chori castrorum, sint visuræ: Quid conspicietis in me Pacificâ? *** quæ ex perturbationum bello multiplex redeo, sicut chori ex prælio reuertentium, victoriæ præconium celebrantes. Cùm enim vos strenuè in certamine aduersus vitia, virtutum institutis & moribus gesseritis, horum rationes vti victoriæ laudes scitè concinetis.

SECTIO X.

Sulamitis ob diligentem animarum curam à Salomone laudatur.

TEXTVS, *ex cap.* 7. *vers.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

1 QVAM pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis. Iuncturæ femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.
2 Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis. 3 Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ.

preæ. 4 Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in portâ filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. 5 Caput tuum vt Carmelus: & comæ capitis tui, ſicut purpura regis vincta canalibus. 6 Quã pulchra es, & quàm decora chariſſima, in deliciis? 7 Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.

PARAPHRASIS.

AD Regem munere iſto perfuncta reuertens, inueni illum, quem ſoleo, amantem ſimul, & amicabilem. Is primâ ſtatim ad me ſalutatione, quaſi continere ſe non valens, & de re, vtut filiæ meæ ſeſe habebant, ex parte ſaltem meâ benè geſtâ gratulabundus, QVAM PVLCHRI SVNT, dicebat, GRESSVS TVI, quibus quotidie nouâ diligentiâ ad me properas, IN CALCEAMENTIS? quippe ſedulò caues, ne ex terrenis ſordibus aliquid pedibus tuis, id eſt affectibus, ſordidi adhæreſcat, ô FILIA PRINCIPIS magnamini, ipſa egregiè patriſſans, & ex ſedulâ magni Patris imitatione aliorum te ſaluti gnauiter impen-

dens. IVNCTVRÆ FEMORVM TVORVM, quibus ossibus ossa fortissima maximaque connectis; id est illa diligentia, quâ aduigilas, vt præstantes animæ aut se mutuò ad Dei obsequium trahant, aut etiam connexionem inter se per amicitiæ charitatisque legem seruent; illæ, inquam, iuncturæ sunt SICVT MONILIA, QVÆ FABRICATA SVNT MANV ARTIFICIS: adeò fortibus inter se & pretiosis nodis cohærent. Aduerte autem, quòd non cuilibet catenæ illas comparo, sed pulcherrimis monilibus: animæ enim illæ, quasi insertis sibi mutuò manibus, circum circa collum choreas ducere videntur; cùm in operibus suis, in charitate mutuâ fundatis, Dei considerationem semper ante oculos habent. Verùm operæ pretium erit, sanctam istam sobolem, quam mihi quotidie producis & educas, considerare, tum ante partum, tum in partu, tum post partum. Ante partum quidem VMBILICVS TVVS, quâ nimirum viâ embryones in vtero materno alimentum trahunt, SICVT CRATER TORNATILIS est, NVMQVAM INDIGENS POCVLIS: torno elaboratum opus versatile est, & ad motum facilè expeditum: quo affluentia notatur, & copia nutrimenti. Nam & habes vnde nutrias, & libenter nutris tenellas istas mentes, & veluti recēter conceptum fœtum

cautè

cautè gestas, præcauens omni curâ, ne linum fumigans extinguatur. Vbi verò deinde ad partum peruenitur, tum VENTER TVVS SICVT ACERVVS TRITICI est, multiplici augmento, & quasi fœnore depositum reddens; quod terræ optimæ indicium esse, nemo possit dubitare. Sed & est VALLATVS LILIIS: partus enim spiritalis mundus est & purus, habetque aliquid virgineo Deiparæ partui respondens: nam vtrobique conceptio sancta, nimirum à Spiritu sancto, & parturitio immaculata est. Denique in educando fœtu nō minor adest diligentia. Etenim DVO VBERA TVA, doctrina & exemplum, quibus recenter natos infantes foues, sunt sicut DVO HINNVLI GEMELLI CAPREÆ: quibus optimè inter se conuenit; illud enim gemellorum proprium est; deinde caprearum hinnuli ad superiora semper ascendere consueti sunt. Tu verò nec propter hanc de tuis curam minùs tibi vacas. nam COLLVM TVVM, id est contemplationis studium, SICVT TVRRIS EBVRNEA est & ornamento & munitioni solidæ. OCVLI verò, qui lacrymis sæpè animi affectum produnt, SICVT PISCINÆ IN HESEBON, adeò continuè lacrymis madent, idque IN PORTA FILIÆ MVLTITVDINIS. In portis vrbis Principes Hebræorum commorari solent:

filia autem multitudinis per Hebraiſmum dicitur quæ multos recipit. Hoc ergo dico: Oculi tui ob curam & ſollicitudinem multarum animarum, quæ tibi commiſſæ ſunt, non ſine fructu multis lacrymarum imbribus madent, adeò non tepidè aut oſcitanter illarum curam gerit. NASVS porrò TVVS, prudentiæ diſcretioniſque ſymbolum, SICVT TVRRIS LIBANI eſt, in altum erecta, vbi excubiæ per vigiles proſpicere poſſunt, ne quid ſubditis hoſtile obueniat: quippe quæ aduerſariorum machinationes longè antè præuideant: QVÆ turris proinde RESPICIT DAMASCVM, Syriæ metropolim; ex quâ parte Iudæi maxima bella formidare ſolent. CAPVT TVVM, charitas virtutum ſumma, VT CARMELVS eſt, montium fertiliſſimus: hinc enim omnibus tecum agentibus beneficæ voluntatis tuæ nec pauca nec obſcura indicia naſcuntur, nec aliter quàm montis illius incolæ & accolæ ex eo copioſos fructus referunt. At verò COMÆ CAPITIS TVI, id eſt cogitationes ex iſtâ charitate tamquam capite enatæ, ſunt SICVT PVRPVRA REGIS, ardenti murice nihil vulgare aut abiectum ſpirans: adeò heroica ac diuina aſſiduè animo tractas, nullaſque cogitationes abiectas aut diſſolutas pateris tibi obuerſari. Eſtque purpura illa VINCTA CANALIBVS: ego enim ipſe

variis

variis eam gratiarum riuulis perluo: in quibus, vt colligati fasciculi in muricis sanguine altè purpureum colorem imbibunt; ita tu, vt quæ mihi grata sunt assiduè mediteris, nouis te affatim muneribus & amoris mei incitamentis quasi delibutam reddis. Vno verbo, cùm te non tantùm per partes, sed totam simul intueor, non possum quin exclamem: QVAM PVLCHRA ES, ET QVAM DECORA CHARISSIMA, quæ mihi tota es IN DELICIIS! si enim tuas virtutes omnes, simul eleganti quadam harmoniâ inter se connexas, & in maximum iam cumulum excrescentes considero; aduerto, quòd STATVRA TVA ASSIMILATA EST PALMÆ, super omnes arbores erectæ, quæque ex difficultatibus assurgat: & hoc ipsum non vbiuis obuiæ virtutis est, aduersitatibus non frangi, sed honorum inde titulos sibi comparare. Palma es ergo, Amicissima mea, in te ipsâ; neque etiam aliorum comparatione cedis illi laudi: nam ET VBERA TVA assimilata sunt BOTRIS, illarum nimirum vitium, quibus palma ista pro amite est, eas sustentās & eleuans. Nisi enim tantæ tu virtutis roborisque esses, nequaquam tot animarum curam sine aliquo ex variâ gloriâ aut aliunde damno sustineres: periculum enim foret, ne onere isto prægrauata & prolabascens, illarum insimul, quæ tibi

tibi creditæ sunt, ruinam tecum traheres; cum interim iam & ipsa stes, & stando alios confirmes.

NOTÆ.

QVAM PVLCHRI SVNT GRESSVS TVI IN CALCEAMENTIS, FILIA PRINCIPIS?] *S. Ambrosius lib. de Instit. virg, cap.* 14. *ad hunc locum respiciens*, Speciosè, *inquit*, procedit anima, quæ corpore velut calceamento vtitur, vt, quò velit, suum possit sine impedimento vllo circumferre vestigium. *Idem Serm.* 17. *in Psal.* 118. Quid sibi vult, quod ait in calceamentis speciosas gressus Ecclesiæ? Legimus itaque dictum ad Moysen: Solue calceamentum pedum tuorum. quo videtur admonitus, ne corporalibus vinculis teneretur astrictus. Ergo speciosam significat in Canticis animæ pulchritudinem, quę carne tamquam calceamento vtitur, & in ipso impedimentum nõ patitur, sed incessus decore pręcellit. Calceat ergo se carnis anima Ecclesiasticâ gratiâ, vt cursum vitæ huius & transitum cum decore prætereat; quod fit, si calceamentum suum non inquinet luto corporali, nec in vitiorum merset voragine; si castiget carnem suam, ne moretur ad cursum, & aruinæ pinguis pondere prægrauetur.

Theodoretus: Aquila vertit, Principis; Symmachus, Ducis: quis autem alius hic siue Dux siue Princeps esse possit, nisi sanctus ille Spiritus consolator? qui in 44 item Psalmo ad ipsam, Audi, inquit, filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, &c. *Psal. 44. v 11.* * * * Sponsus igitur primò Sponsæ commendat incessum, qui rectus sit, & viam regiam teneat, atque in calceamentis eluceat.

ceat. Quæ porrò hæc calceamenta sint, B. Paulus ostendit, dicens: Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis Pedum istorũ decorem prospiciẽs Esaias propheta, Quàm pulchri sunt, inquit, pedes euangelizantium pacem, euangelizantiũ bona? *Ephes.6.*

IVNCTVRÆ FEMORVM TVORVM, SICVT MONILIA QVÆ FABRICATA SVNT MANV ARTIFICIS.] *S.Gregorius Magnus:* Per duo femora Spõsæ, duo populi Ecclesiæ: per iuncturam femorum, concordia designatur prædicatorum, quibus populi vniuntur, dum ad Fidem Catholicam circumcisio & præputium per eos erudiuntur. Qui vt monilia existunt, quia dum in sapientiâ, quâ refulgent, sancta opera faciunt, quasi in auro lapides gerunt: de quibus sequitur: Quæ fabricata sunt manu artificis. Manu artificis monilia fabricantur, quia opere Christi prædicatores pulchri & vtiles efficiuntur. *Allegoria hæc ad Tropologicum sensum deducta, idem, quod nos, dicet.*

S. Ambrosius Serm. 17. paulò antè citato: Moduli (*ita ipse habet, pro eo, quod nostra lectio vertit*, iuncturæ) femorum tuorum similes torquibus opere manuum artificis; vt posteritatis Ecclesiæ ornamẽta canerentur: per femur enim insigne generationis agnoscimus. * * * Moduli autem isti dicuntur ornamenta pretiosa, quæ suspendi matronarum ceruicibus solent. Tantus ergo processus Ecclesię significatur, vt ornamentis pretiosissimis comparatus sit, & torquibus triumphantium: hæc enim & ornamenta sunt bellatorum.

VMBILICVS TVVS CRATER TORNATILIS, NVMQVAM INDIGENS POCVLIS.] *Opportunè, fateor, monuit hæc legens amicus meus, vir doctus, quamuis & ipse*

ipse id anteà etiam aduerteram, non vmbilico matris cibari embryonem, vt Paraphrasis nostra explicatio exigere videtur, sed per sua vasa vmbilicalia alimentum attrahere. Verùm dum embryo maternis visceribus continetur, non immeritò aliquid matris esse iudicetur, vt ipsius vmbilicus etiam matris esse dicatur; vtpote à quâ originem habet, & sanguinẽ nutritium trahit. Sed neque mea solius hæc est interpretatio: ita enim Chaldæa Paraphrasis hæc vertit: Princeps scholæ tuæ, per cuius meritum gubernantur omnia, sicut fetus enutritur per vmbilicum in vtero matris suæ, splendidus est in lege, * * * & non deficiunt verba legis vmquam ab ore eius, sicut non deficiunt aquæ fluminis magni, quando egreditur de paradiso.

S. Gregorius Magnus: Vmbilicus sanctorum prædicatorum est ordo: qui benè crater dicitur, quia dum per eos populus eruditur, vino spirituali ipsorum officio inebriatur: qui benè tornatilis nuncupatur, quia iuxta mores hominum vniuersos, necesse est vt lingua prædicatorum voluatur: qui poculis non indiget; quia quod aliis propinet, necesse est vt abundantiùs ceteris bibat, & pleniùs, quod dat, contineat.

VENTER TVVS SICVT ACERVVS TRITICI.] *Philo:* Ventrem Sponsæ multitudinem Christiani populi intelligit: nam & triticum multitudini, & multitudinem tritico rectè comparat.

DVO VBERA TVA, SICVT DVO HINNVLI GEMELLI CAPREÆ.] *Anselmus:* Duo vbera, id est, prædicatores, (*nostro sensu ipsas conciones accipe*) qui sunt vbera, scilicet vasa lactis, id est, doctrinæ suauiter educantis. Hi tales sunt hinnuli, quia leues &

agiles

agiles ad currendum, non prægrauati pondere carnis: gemelli, dicit, quia sicut gemelli fratres, licet sint diuersi, tamen sunt sibi similes.

Theodoretus: Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Nam doctrinæ tuæ fontes nouos latices effundentes, mentis aciem, & spiritualem contemplationem docent. Caprea enim à videndi acumine dorcadis nomẽ habet, & hinnulus nouum significat. *Tres apud eumdem Patres:* Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ: naturalis, & moralis doctrina, quà nos imperfectas tamquam lacte, tum rationibus naturalibus, tum moribus, ad eam quæ in Christo est perfectionem nutris, pariter ex te tum acutè per contemplationem, tum per actionem celeriter fluit; cùm neque rationem sine actione, neque actionem sine ratione doceas esse complectendam.

COLLVM TVVM SICVT TVRRIS EBVRNEA.] *Ijdem tres Patres:* Rationis vis, quæ, vt collum capiti corpus reliquum, ita menti sensum connectit, turris quidem instar per virtutem à rebus carnalibus ad spiritales ac cælestes extollitur. Læuis est autem & pura, qualis ebur; quoniam ab inęqualitate, quæ in excessu defectúque virtutis inest, & animas inquinat, est remotissima. *Et ipse Theodoretus:* Collum tuum sicut turris eburnea, remotum enim est à nigredine; & iugum meum suscipiens factum est candidum, & cum hostibus, vti turris, est formidandum, tum amicis amabile propter nitorem.

Dionysius Carthusianus hic art. 23. refert se ad ea quæ in caput quartum Cantici dixerat: ibi enim art. 14. exponens illud, Sicut turris Dauid collum tuum;

tuum; Id est, *inquit*, eleuatio, quâ eleuas te, & coniungis Sponso tuo, recta & valida est: quamuis sit simplex in se, vt pote actus fidei, aut charitatis, vel sapientiæ, aut latriæ; tamen ceteris virtutibus constipatur, munitur, protegitur, sicut Rex suo exercitu: siquidem virtutes, & actus earum se mutuò iuuant & roborant, opportunoque tempore vna alteri cedit, prout rationabilis exigit caussa.

OCVLI TVI SICVT PISCINÆ IN HESEBON.] *Aponius*: In oculis scilicet Ecclesiæ, pro eo quòd piscinis Hesebon comparantur, illi videntur ostensi, siue qui pro suis criminibus aliquando, siue qui pro alienis criminibus fontes proferunt lacrymarum: de quibus dicitur: Beati qui lugent nunc, *&c.* **** qui oculi per hāc comparationem ab imminente periculo gladij, vel cuiuslibet flagelli, docentur suis lacrymis populum liberare, sicut piscina Hesebō vrbis habitatores à sitis periculo liberauit.

S. Gregorius Magnus: Hesebon cingulum mœroris interpretatur: oculi ergo Sponsæ sicut piscinę in Hesebon dicuntur; quia dum de peregrinatione suâ contristantur, & mœrore corroborati contra spiritales hostes accinguntur, lacrymis se lauant, vt per eos populi conuenienter coram Deo mundentur. In portâ filiæ multitudinis sunt, quia in fide stânt, per quam Ecclesiæ multitudinem ad cælestia introducunt.

NASVS TVVS SICVT TVRRIS LIBANI, QVÆ RESPICIT CONTRA DAMASCVM.] *Philo*: Per nasum fæculenta atque corrupta à benè olentibus sincerisque discernimus, per huncque odores omnes & rerum halitus mistarum dignoscuntur. Quę quidem nasi significata omnia ád pastores animarum

rum

rium pertinent; & eos omnes, qui ceteris regendis & gubernandis præficiuntur; ne ſint immanes ac ſæui, ſanguinem ſubditorum appetentes, ne auctoritate abutantur.

Rupertus Abbas huc reuocat quod Ezech. 23. de Ooliba legitur, cui ob plurima flagitia inter alia etiam prædicitur: Naſum tuum & aures tuas præcident. *& inde concludit:* Numquid talis ancilla naſum habet, aut aures? ſi naſum haberet, aliquid de longinquo ſentiret, aliquid de futuro ſæculo cogitaret, aut deſideraret, * * * Tu autem ô libera naſum integrum, naſum, vt iam dictum eſt, habes egregium, quæ ſano odoratu ſentis, & appetitu traheris non eorum quæ videntur, ſed quę non videntur. *De eadem re vide plura ibi.* Ezech. 23. v. 25.

Theodoretus: Sponſæ naſus eſt, inquit, ſicut turris Libani quæ reſpicit faciem Damaſci. Celſus enim eſt ac ſublimis, & cæleſtem ſuſcipit odoris ſuauitatem, Sponſique vnguentum percipiens clamat: Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Idcircò comparata eſt turri, quæ in Libano ſita eſt, & reſpicit Damaſci faciem. Nam, quia diabolus in Angelum lucis transfiguratur, vnguentique ſpiritalis ſpeciem ſumit; neceſſariò Sponſæ naſus erectus & vigilans reſpicit faciem Damaſci, ne decepta verum omittẽs, falſum & adulterinum ſequatur. Damaſcum autem pro gentilibus, & impietate, quæ eo tempore vigebat, frequẽter ponit diuina Scriptura. *** Meritò ergo ad Spõſam ait: Naſus tuus ſicut turris Libani, quę reſpicit faciem Damaſci: proſpicis enim ne diabolus ſub ſpecie rerũ diuinarum te decipiat, & pro veritate mendacium obtrudat. *Similia habent Tres Patres apud eumdem.*

CAPVT TVVM VT CARMELVS.] *S. Gregorius:* Carmelus ſcientia circumciſionis interpretatur. Caput ergo Sponſæ vt Carmelus eſſe perhibetur, quia quælibet ſancta mens nouit, qualiter dignè circúcidatur; nouit quia nihil eſt, quidquid in corpore agitur, ſi mens immunda fuerit; quæ templum Chriſti ſi efficitur, ab ipſo inhabitatur.

COMÆ CAPITIS TVI, SICVT PVRPVRA REGIS VINCTA CANALIBVS.] *Idem*: Purpura per faſciculos in canalibus ligatur; ſuper quos dum aqua conijcitur, per canales ad veſtem, quæ ſubpoſita eſt, currit, vt veſtis tingatur: & inde nomen accipit, vt tincta colore purpureo purpura vocetur: quæ omnia ſanctę menti congruunt, ſi intelligantur. Comæ quippe capitis ſunt cogitationes mentis, quæ in canalibus ligantur, quia in Scripturis diuinis, ne inutiliter fluant, ſtringuntur: ſuper quas aqua proijcitur, quæ veſtem Regiam currens tingit; quia dum cogitationibus ſanctæ mentis gratia cæleſtis ſuſcipitur, totam animam in cæleſte ornamentum componit, vt iam tota anima in vitam æternam inardeſcat, & ad æternum Sponſum etiam per ſanguinem martyrij currere concupiſcat.

Venerabilis Beda eodem ferè modo. Dicit enim ferro inciſas cochleas maris, lacrymas purpurei coloris emittere, quibus collectis tinctura purpurea fiat; in canalibus autem fucata vellera diſtincta ſeruari, vel miſſo in canalibus ſanguine muricis ipſam lanam fucandam ibi per partes diſtinctam & vinctam tingi. Ita, *inquit*, comæ capitis Sponſæ, cogitationes ſunt animæ fidelis; purpura autem Regis, Diuinę paſſionis imitationem ſignificat: cui iure coma capitis Sponſæ confertur, quia omnis electorum cogitatio fide

fide ſanctæ Crucis munitur. *& inde interiectis inter alia illis quæ iam de purpurâ & muricum ſanguine diximus, concludit:* Aiunt perfectam purpuræ tincturam nullo vmquam ſole, nullâ aquarum aſperſione palleſcere, & ſemel acceptum perdurare fucum ſolere. Comæ igitur capitis Sponſæ vt purpura ſunt Regis vincta canalibus, cùm cogitationes deuoti Deo paratæ etiam exiſtunt ad moriendum pro Chriſto, vt mereantur regnare cum eo.

QVAM PVLCHRA ES, ET QVAM DECORA CHARISSIMA IN DELICIIS.] *Rupertus Tuitienſis*: Quid eſt in deliciis pulchram & decoram eſſe, niſi in abũdantiâ gratiæ manſuetudinem ſummamque humilitatem cordis habere? Denique dona gratiarum, & intelligentia Scripturarum, ſiue Sacramentorum cæleſtium, veræ ſunt deliciæ; & humilitas cordis, vera pulchritudo eſt; res decora & amabilis Deo virtus eſt.

Beda: Quantum ad humanam conſuetudinem, difficile eſt vnam eamdemque perſonam & in deliciis ducere vitam, & terribilem eſſe vt caſtrorum aciem ordinatam; quia nimirum deliciæ mentem, quam molliunt, bellicis rebus intendere non ſinunt: ſed vbi ſpirituales ſunt deliciæ, id eſt, vbi deſiderium æternæ dulcedinis fauces replet animi, ibi terribilis fit hoſtibus anima ſpiritualis, eorumque tela omnia quaſi acies caſtrorum elidit.

S. Gregorius Magnus: Notandum quòd chariſſima in deliciis dicitur, quia ad charitatem & familiaritatem Chriſti non peruenit, quiſquis Scripturæ ſacræ deliciis abundare non contendit. Inde enim dicitur: Omni habenti dabitur, & abundabit; ei autem, qui non habet, etiam quod habere videtur,

tur, auferetur ab eo. His enim deliciis qui abundat, reficitur; his refectus, assiduè ad maiora percipienda præparatur.

Anselmus: Quàm pulchra es? Quid per singula? Tota pulchra es secundùm interiores virtutes, & decora secundùm opera, in deliciis, id est, in omni spirituali refectione.

STATVRA TVA ASSIMILATA EST PALMÆ.] *Idem ibidem prosequitur:* Statura tua, id est directio tua, sicut palmæ: sicut enim palma in altum semper fertur, ita fideles isti semper tendunt ad altitudinem virtutum: & vbera tua, id est doctrinæ tuæ similes sunt botris, id est vino; sicut enim vinum, ita doctrinæ tuæ inebriant. *Vide S. Greg. Bedam, & alios.*

S. Ambrosius lib. 3. Hexaëm. cap. 17. Palma virens semper manet, conseruatione & diuturnitatē, non immutatione foliorum: nam quæ primò germinauerit folia, ea sine vllâ substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eam homo, vt dicatur & tibi: Statura tua similis facta est palmę. Serua viriditatem pueritiæ tuæ, & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio rècepisti: vt plantatus secus decursus aquarum, fructum tuum in tempore tuo habeas præparatum, & folium tuum non defluat.

Beda lib. 6. Aspera est palma iuxta terram, quia persecutionem patiuntur propter iustitiam electi. Pulchra est & dulcis in summo, quia gaudent in pressuris & exultant; scientes quoniam merces eorum copiosa est in cęlis. *Notauit inde etiam id quod iam allatum est ex Ambrosio de foliorum conseruatione; & concludit ex eo, quod Sancti eandem operum perfectionem, quam ab initio cœpit, quasi decorē palmarum, vsque ad finem sæculi intemeratam custodiunt.*

ET

ET VBERA TVA BOTRIS.] *Idem*: Vberum officium gerunt, [*magistri veritatis*] cùm sua dicta infirmis, prout audire valent, attemperant: conferuntur autem botris, cùm mente excedentes ad sublimia, inebriantur ab vbertate domus Dei.

Philo Carpathius: Palma quosdam veluti aculeos profert, & in hac parte iustorum vitæ congruit. Sunt enim palmæ aculei vel spinæ, quales iustis viris ac sanctis sunt increpationes in peccatores & delinquentes. Siquidem verba prudentum, valentissimum sunt medicamentum, stultorumque calcaria, quibus quisque hominum benè viuere volentium incitatur ad salutem, abiectâ sarcinâ delictorum. * * * Et vbera tua botris. Nam vt palmarum rami fructibus prægrauantur atque dependent, fiuntque suaues dum maturant: sic fidelis & sanctę Christi Sponsę duo vbera, duo Testamenta, duo præcepta charitatis, & duo vitæ genera, actiuum & contemplatiuum, maturo sensu prudentique decerpta & asseruata, dulcedine virtutum atque suauitate affluunt & abundant, eaque cæleste pabulum rectè gustare volentibus administrant.

SECTIO XI.

Profectus discipulorum Sulamitidis.

TEXTVS, *ex cap. 7. vers. 8. 9. 10.*

8 DIXI: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua sicut botri vineæ: &

 odor

odor oris tui ſicut malorum. [9] Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum Dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.
[10] Ego Dilecto meo, & ad me conuerſio eius.

PARAPHRASIS.

QVÆ Salomon in laudem meam dixerat, ab Adoleſcentulis, quarum mihi cura credita erat, facilè exaudita fuerant. Itaque ex vnâ parte obiurgationem meam, ex alterâ hæc à Sponſo mihi data præconia conſiderantes, excitauerunt ſe, vt veſtigia deinceps mea preſſiùs diligentiuſque ſequerentur. Vna itaque earum, (vnam enim exempli gratiâ proponam) vna, inquam, hunc in modum, me audiente, loqui cœpit: DIXI, & deliberatè conſtitui ita fore, VT ASCENDAM IN PALMAM, & ad ſumma quæque contendam, neque deſiſtam, donec APPREHENDAM FRVCTVS EIVS. Neque iam me aut arboris altitudo, aut aſcenſus difficultas deterrebit. Hęc illa. Nihil mihi à filiabus meis gratius tali deliberatione poterat obuenire. Neq; eam, quæ ita ſtatuerat, latuit lætitia quâ afficiebar: quare ad me ſermonem detorquens, ERVNT

VBERA

VBERA TVA,dicebat, SICVT BOTRI VINEÆ: tuum eſt, & ex te naſcitur hoc deſiderium, & hæc alacritas mea: tui lactis, aut potiùs vini,generoſitas animam mihi excitat ad audendum. Inſuper ET ODOR ORIS TVI, SICVT MALORVM eſt: nam ipſum Regem ſpirat, quem non ſemel iam malo inter ſteriles ſiluarum arbores comparari intelleximus. Quare & vires conuerſatio tua ſuppeditabit; & orationes tuæ ad ipſum, gratiam, ita confido, nobis obtinebunt, quâ id quod proponimus, fortiter exequamur. Et quamuis initio, cùm primùm de noſtri mortificatione,& pœnitentiâ, aliiſq; ſenſui repugnantibus nos moneres, documenta tua aliquid auſteritatis & amaritiei habere viſa ſint, vt etiam propterea ipſæ nos tardiores in progreſſu fuerimus: cùm tamen doctrinæ tuæ medullam guſtare cœpimus, expertæ ſumus GVTTVR TVVM,id eſt penitiorem diſciplinæ tuæ perſcrutationem, re ipſâ SICVT VINVM OPTIMVM eſſe, eximiamque cum pari dulcedine animi lætitiam gignere;nec minorem ſpirare generoſitatem, vt proinde etiam Rege DIGNVM ſit, &, vt id nomen quoque vſu capiam, DILECTO MEO AD POTANDVM magnâ copiâ, & inſuper LABIIS ET DENTIBVS ILLIVS AD RVMINANDVM. Vt enim, qui curioſiùs vini guſtum examinant, quaſi

ſorbillantes id attrahunt, vt ſingulæ partes meracius palatum feriant: pari modo, ſi Dilectus ſingula dicta & facta tua examinet, nihil periculi eſt, ne quidpiam minùs ſibi gratum in eo deprehendat. Hîc ego: Benè habet, inquam, & incepto veſtro gratulor; & EGO ipſa DILECTO MEO, cui omnia debemus, hæc oblatum eo. Scio cum tali dono gratam me ipſi acceptamque venturam. Cum dicto coram ipſo me ſtiti; atque tum quòd me amabat, tum quòd nuntium ſibi gratiſſimum me adferre ſciebat, ſtatim AD ME CONVERSIO EIVS fuit.

N O T Æ.

DIXI: ASCENDAM IN PALMAM, ET APPREHENDAM FRVCTVS EIVS, ET ERVNT VBERA TVA SICVT BOTRI VINEÆ.] *Tres Patres apud Theodoretum:* Mecum ipſa deliberans dixi: Aſcendam per virtutis imitationem ad perfectionem doctrinæ tuæ, & per contemplationem apprehendam eius ſublimitatem. Et diſciplinæ tuę vbera, quę mè naturaliter nutriunt, erunt omnino ſicut botri verę vitis, qui Chriſtus eſt, prębentes mihi gratiam Diuinitatis, quæ vini more à naturâ mentem dimouet, & ſupra naturam transfert.

S. Ioannes Chryſoſtomus ad palmæ huius aſcenſum hortatur populum Antiochenum Hom. 22. his verbis: Dic tu quoque ſecundùm illam ſanctam animam, Dixi, Aſcendam palmam ad tenendum ſublimitatem eius, rectitudinem amans, & mundum

dum habens cor, & ad cęlestia bona currens, nec circa terrena tantùm distractum. Vide ne stimulos habeat palma tua, contra peccatum redargutiones: sermones enim sapientum tamquam boum stimuli; at qui his punguntur, corde compungantur, & omni peccato abstineant: sed diligenter ipsius altitudines retine, vt sine ruinâ permaneas continuè ventorum incursiones ferens, insurgentes per tempus tentationum. Versare semper in diuinis Scripturis: sicut enim vinum, dum bibitur, tristitiam sedat, & cor commutat in lætitiam; sic & spirituale vinum, dum bibitur, in lætitiam conuertit animam tuam.

S. Gregorius: Verè per crucem vbera Sponsæ sicut botri vineæ existunt; quia in morte Christi duo præcepta charitatis sensus animæ exceperunt, quibus pasta anima debrietur, debriata posteriora obliuiscatur, vt in anteriora extendatur. His vberibus etiam proximos quosque nutrit, ac roboratos secum ad ea, quæ concupiscit, perducit. vnde scriptum est: Qui audit, dicat, Veni.

ET ODOR ORIS TVI SICVT MALORVM:] *Rationem exponit Rikelius Art.* 23. Quia ex plenitudine internæ deuotionis, diuini feruoris, & gratiosæ illuminationis, saluberrima atque dulcissima docebis ac proferes verba.

GVTTVR TVVM SICVT VINVM OPTIMVM.] *Anselmus*: Guttur, id est verba interiora, scilicet sensus verborum tuorum, est sicut vinum optimum, id est, nutrientia & inebriantia homines, vt faciant obliuisci vitæ suæ prioris.

Venerabilis Beda: In odore oris fama bonæ locutionis, in gutture verò ipsum vocis Deo deditæ offi-

officium. Vtrumque autem in Ecclesiâ Catholicâ, vtrumque in animâ quâque electâ laude dignum est: quia & vox ipsa, quæ præsentes instituit, & famа loquelę, quę ad absentes siue per litteras, siue per eos, qui audiuere, peruenit, plena esse probatur virtutis & gratiæ. Quòd verò odorem oris & gutturis Sponsæ malis ac vino comparat optimo, ita potest distingui: quòd mala totam vim in ipsâ nouitate retineant, vinum verò pretium de vetustate consequatur.

DIGNVM DILECTO MEO AD POTANDVM.] *S. Gregorius:* Tale est Sponsæ vinum, vt dignum sit Dilecto ad potandum: quia dum sancta Ecclesia fidem veram prædicat, dum auditores suos ad sancta opera excitat, dum solum Christum diligere, imitari, amplecti, bonum esse verbis & operibus demõstrat; quid aliud quàm vinum suum dignum faciat, vt in ore Sponsi dulce sapiat? quod benè Christus potare dicitur; quia à corpore suo, id est, à fidelibus populis, amabiliter potatur.

Tres Patres apud Theodoretum: Institutionis tuæ sermo, qui, vt vinum optimum, corda afficit lætitiâ, erit nobis, dum pronuntiatur in Dilecto tuo, cuius nobis desiderium instillasti, in vias rectas; vt eum tamquam veritatem amplectamur, nec per defectum aut excessum à virtutis rectitudine deflectamus: & sufficiens nostris appetendi potentiis, quibus tamquam labiis osculamur quod placuit voluntati; & intelligendi facultatibus, quibus tamquam dentibus, quę dura sunt, & ad cognoscendum difficilia, ad esum & cibum spiritualem frangimus, & molimus.

LABIISQVE ET DENTIBVS ILLIVS AD RVMINAN-

NANDVM.] *S. Gregorius:* Notandũ quòd omnes potant, ſed labia ſola, & ſoli dentes ruminant: quia dũ Eccleſia per ſanctos ſuos prædicat, omnes quidem audiunt, ſed non omnes, quanta ſit virtus ſententiarum quæ dicuntur, diſcernunt. Labia verò & dentes ruminant: quia dum perfectiores quique poſt auditum verba ad memoriam reuocant, dum audita quæque exercitatione aſſiduâ cogitant, quaſi ad os reuocantes quod ſumpſerunt, quanta ſit virtus cibi quem comederunt, ſentiunt. Idcircò in Lege ſcribitur, quòd animal quod non ruminat, immundum habetur; quia quiſquis bona, quæ audit ſiue legit, non recogitat, vacans à ſanctis cogitationibus, neceſſariò immundas congregat.

EGO DILECTO MEO, ET AD ME CONVERSIO EIVS.] *Tres Patres:* Cùm diſcipularum multitudo à magiſtra flagitaſſet, vt ab arcanâ contemplationis altitudine ſeſe illis per moralem philoſophiam dimittens & accommodans ita conuerteret, vt ſpirituales eius pulchritudines, quæ dictæ ſunt, in illâ poſſent intueri, & cum ipſâ ſimul per imitationem conſcendere, ad eas ita reſpondet: Ego Nepoti meo, & ad me conuerſio eius.

Anſelmus: Ego Dilecto meo, quaſi dicat; Mihi credendum eſt, quia ego adſum ei ſemper familiaris ex conſcientiâ ſecretorum: & ipſe me diligit; & hoc dicit, Ad me conuerſio eius, id eſt, ad me amorem ſuum conuertit.

SECTIO XII.

Salomon ad hortos & fructus inuitatur.

TEXTVS, *ex cap. 7. verſ.* 11. 12. 13.

11 VENI Dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in vil-
lis. 12 Manè ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica; ibi dabo tibi vbera mea. 13 Mandrago-
ræ dederunt odorem. In portis noſtris omnia poma: noua & vetera, Dilecte mi, ſeruaui tibi.

PARAPHRASIS.

DISCIPVLARVM mearum profectus adeò me gaudio lætitiâque affecerat, vt non potuerim, quin bonum iſtud cum Rege meo communicarem. Inuitaui itaque illum, vt vnà mecum hortos ac villas noſtras ruſticanas inuiſeret, ſperans fore, vt ex illo florum fructuúmque prouentu non parum etiam ipſe voluptatis reciperet. Quapropter, VENI DILECTE MI, dicebam, EGREDIAMVR IN AGRVM; inuiſamus, ſi placet, mentes illas, quæ famoſarum

vrbium

vrbium ſtrepitus, ſanctâ ſolitudine & grato tibi etiam ſilentio commutarunt. COMMOREMVR IN VILLIS: ſunt enim, qui in villarum morem tibi gratas in ſeipſis manſiones exſtruxerunt. MANE quoque cùm vinearum odor fragrantiſſimus eſt, cumque mentalium exercitiorum feruor maximè viget, SVRGAMVS AD VINEAS, & VIDEAMVS SI FLORVIT VINEA; id eſt, quantâ diligentiâ ac feruore ſpiritus piæ animæ ſanctis meditationibus vacent: SI FLORES FRVCTVS PARTVRIVNT: deluderet enim agricolam ſpes, niſi odoriferis floribus conueniens etiam vindemia reſponderet. demum examinemus SI FLORVERVNT MALA PVNICA religioſæ conuerſationis in quotidianæ vitę conſuetudine. IBI DABO TIBI VBERA MEA, cùm videbis, quantum illæ animæ, quas lactandas mihi commiſeras, in virtutum ſtudio profecerint. Nec mora: viam iniuimus, necdum hortos; cùm eminus MANDRAGORÆ DEDERVNT ODOREM: quarum virtus in ſomno conciliando, & inducendâ obliuione, excellere dicitur. Enimuerò in tyronibus optimum eſt bonæ ſpei indicium, ſi omnium rerum externarum, earumq; quibus in ſæculo maximè afficiebātur, obliuionem inducāt animo; vt excluſis turbis, internę quieti & reformationi mentis vacent. Huius rei argu-

argumentum erat, quòd circa hortuli ambitum, altum erat silentium: neque enim fieri potest, vt tumultuantibus intus passionibus & affectibus, externa ritè composita maneant. Non temerè itaque arguere licebat, quasi haustis mandragoris interiora bene pacata requiescere, vbi adeò nullæ excursiones foris videbantur, nulli audiebantur strepitus. Intrauimus inde hortum ipsum: & ecce, IN PORTIS NOSTRIS OMNIA POMA. Filiæ meæ de aduentante ad se Rege certiores factæ, omnes virtutes, & quidquid boni gesserant, in primo statim ingressu illi lætæ volentesque offerebant. Tum ego, tam omnium illarum quàm meo etiam nomine ad Sponsum conuersa; Accipe, dicebam, ô tu cui omnia debentur, hæc qualiacumque nostra. Ecce NOVA, quæ vides, ab adolescentulis aliisque discipulis nostris gesta, tamquam hortuli primitias; sed ET VETERA, quæque ego non iam tantùm, sed à primo conuersionis meæ instanti benè & ad tui nominis gloriam præstiti, hæc omnia, DILECTE MI, SERVAVI TIBI, omnia in te totius boni fontem tamquam in principium, à quo primùm profluxerunt, cuique debentur illa, refundens.

NO-

NOTÆ.

VENI DILECTE MI, EGREDIAMVR IN AGRVM.] *S. Ambrosius lib. de Isaac, cap.* 8. Quâ ratione exire illum in agrum vellet, intellectus manifestus est; vt quasi bonus pastor pascat gregem suum, lassos alleuet, reuocet errantes: nam etsi iusta anima noua & vetera seruauit; tamen sunt adhuc velut agni, qui lactis succo nutriendi sunt: ergo quasi perfecta, non pro se, sed pro aliis interuenit, vt de sinu patris exeat, vt procedat foras, tamquam Sponsus de thalamo suo egrediens currat viam, vt infirmos lucretur. *Idem lib.* 3. *de Virginibus:* Est Ecclesiæ ager diuersis fecundus copiis: hîc cernas germina virginitatis flore vernantia, illic tamquam in campis siluæ viduitatem grauitate pollentem, alibi tamquam vberi fruge coniugij Ecclesiæ segetem replentem mundi horrea, ac veluti maritatæ vineę fetibus torcularia Domini IESV redundantia, in quibus fidelis coniugij fructus exuberat. *Et Oratione funebri in obitum Valentiniani:* Exeamus in agrum, in quo non vacuus labor, sed fecundus prouentus est gratiarum: quod in terris seminasti, hîc mete; quod ibi sparsisti, hîc collige.

COMMOREMVR IN VILLIS.] *S. Gregorius:* In villis cõmoratur [*cum Sponsâ Sponsus*] quando gentes per fidem visitat, quam recipientibus largitur. Manè ad vineas surgit; quia post resurrectionem suam in gloriâ Patris sedens, Ecclesias, quas construit, etiam defendit. Si floreat vinea, conspicit; quia omnem profectum Ecclesiæ districto examine perpendit. Videt, si flores fructus parturiunt; quia prospicit, ad quem profectum teneri quique & imperfecti

fecti excreſcunt. Videt etiam, ſi floruerint mala punica; quia perfectos quoſque reſpicit, & quid vtilitatis in proximis habeant, quaſi in floribus fructum arborum cognoſcit.

MANE SVRGAMVS AD VINEAS, VIDEAMVS SI FLORVIT VINEA, SI FLORES FRVCTVS PARTVRIVNT.] *Idem lib.* 11: *Moral. cap.* 27. Florent vineæ, cùm mentes fidelium bona opera proponunt; ſed fructus non pariunt, ſi ab eo, quod propoſuerint, aliquibus victi erroribus, infirmantur. Non ergo intuendum eſt, ſi vineæ florent; ſed ſi flores ad partum fructuum conualeſcant. Quia mirum non eſt, ſiquis bona inchoet; ſed valdè mirabile eſt, ſi quis intentione rectâ in bono opere perduret: vnde fit plerumque, vt ſi in bono opere recta intentio non tenetur, etiam ipſum hoc opus, quod bonum creditur, amittatur.

SI FLORVERVNT MALA PVNICA.] *Philo Carpathius:* Ecce iuſtorum animæ, ecce ſanctorum mentes, quæ punicorum inſtar ab honeſtis floribus virtutum ad excellentiſſimos fructus glorioſiſſimè perueniunt. Vt enim malus punica multa grana multoſque ſinus in pomis ſuis generat, & intrinſecus cortice ruffeſcit: ſic & Eccleſia Dei multos populos intra ſe continet, ſuoque gremio complectitur ac fouet; & amictibus mandatorum circumtecta, atque velata Sanguine IESV CHRISTI conſeruatur; & Martyrum corporum, velut corticum rubentium, ſanguine & miraculis decoratur.

IBI DABO TIBI VBERA MEA.] *S. Gregorius Papa:* In malis punicis dat Sponſo Sponſa vbera, quia in perfectis viuit charitas gemina; ex quâ dum infirma membra in Eccleſiâ nutriunt, quaſi Chriſtum lactant

lactant, quem in minimis ſuis eſſe præſentem agnoſcunt.

Anſelmus : Veni Dilecte mi, ad quos quidem venire mecum debes; quia ibi dabo tibi, id eſt ad tuum honorem, vbera mea, id eſt doctrinam meam, quâ tibi optimos acquiram filios.

MANDRAGORÆ DEDERVNT ODOREM.] *S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſt. 56. ex communi aït ſenſu ſe intelligere mandragorico pomo figurari bonam famam*, non eam quæ confertur, cùm laudant hominem pauci iuſti atque ſapientes; ſed illam popularem, quâ etiam maior & clarior notitia comparatur. Non ipſa per ſeſe expetenda, ſed intentioni bonorũ, quâ generi humano conſulunt per neceſſaria.

S. Gregorius hîc, & alij, odorem exponunt de bonâ exiſtimatione hominum : quibus addita verba Theodoreti noſtram planè mentem exponunt, ita enim habent: Mandragoræ vis eſt, vt Medici tradunt, ſoporifera : quare cùm præceptum ſit nobis, vt mortificemus membra quæ ſunt ſuper terram, non vt ea morte afficiamus, ſed vt mortua malis actionibus reddamus; meritò mandragoras hoc loco poſuit, & dixit : Mandragoræ dederunt odorem; id eſt, Cœperunt homines dormire peccatis; &, quemadmodum qui mandragorã hauſerunt, corporis motiones non ſentiunt; ita qui piæ doctrinæ poculum biberunt, perturbationes ſtudent conſopire.

IN PORTIS NOSTRIS OMNIA POMA; NOVA ET VETERA, DILECTE MI, SERVAVI TIBI.] *Rikelius Art.* 23. Omne bonum cum ingenti gratiarum actione tibi ſemper adſcribam, nec in exercitijs vitæ actiuæ à tuo ceſſabo intuitu & amplexu.

Theodoretus: Huic loco conueniunt ea quæ ad

R Timoth,

Timoth. à B. Paulo scripta sunt. Bonum certamen
2.Tim.4. v.7. certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Iam
reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi
Dominus in aliâ die iustus iudex. Item illud, quod
Matth.13. v.52. in Euangelio à Domino dictum est: Simile est regnum
cælorum homini, qui profert de thesauro
suo noua & vetera.

PARS IV.

De modo parandi se ad transitum ex hac vitâ.

SECTIO PRIMA.

Sulamitis petit dissolui, & incipit se ad transitum ex hac vitâ parare.

TEXTVS, *ex cap. 8. vers. 1. 2. 3. 4. 5.*

1 QVIS mihi det te fratrem
meum, sugentem vbera
matris meæ, vt inueniam
te foris, & deosculer te, &
iam me nemo despiciat?
2 Apprehendam te, & ducam in domum matris
meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum
ex vino condito, & mustum
malorum granatorum meorum.
3 Læua
eius

eius ſub capite meo, & dextera illius
amplexabitur me. 4 Adiuro vos filiæ
Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare
faciatis Dilectam, donec ipſa velit.
5 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto,
delicijs affluens, innixa ſuper Dilectum
ſuum?

PARAPHRASIS.

VENIMVS tandem ad vltimum huius dramatis actum, in quo vniuerſæ peregrinationis meæ hiſtoria deſideratâ cataſtrophe concluditur. Poſt bonum itaque certamen certatum, curſum conſummatum, fidem ſeruatam, tandem deſiderium in me accendit Sponſus coronæ gloriæ adipiſcendę, quam aduentum eius deſiderantibus præparauit. Saturata ergo rebus temporalibus, cupiebam diſſolui, & cum Dilecto eſſe: quod ipſum votum meum talibus ad ipſum verbis expoſui: QVIS MIHI DET TE FRATREM MEVM, SVGENTEM VBERA MATRIS MEÆ, VT INVENIAM TE FORIS? Effecit quidem benignitas tua ſuprà quàm vnquam anteà auſa fueram expectare. Vidi, agnouique in hac lacrymarum valle te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ, cùm ex terrenâ matre in terris natus,

ex terrâ etiam quoad corpus nutriri voluiſti: at quis iam mihi det, vt & foris carneo iſto carcere liberata, & à terreâ hac mole expedita, te inueniam ET DEOSCVLER TE, ac in te ſpiritum meum transfundam; quemadmodum initio conuerſionis meæ oſculo oris tui oſculari petebam, vt tuum intra me ſpiritum attraherem, & ſecundùm te viuerem. Quòd ſi iam id etiam obtinuero, vt in oſculo hoc in te meus recipiatur ſpiritus, haud dubiè fiet, vt IAM ME NEMO DESPICIAT. Etenim in præſenti vitâ ita me habui, mi Sponſe, vt tuis inſiſtens veſtigiis contempta libenter deſpectaque viuerem, vt viâ anguſtâ ad auguſtam illam, ad quam tu nos inuitaſti, patriam aliquando me reciperem. At verò alia ex hoc inibitur ratio, cùm tu me ad immarceſcibilis glorię coronam exaltaueris: tum enim nemo deſpicere audebit, quam Rex tam inſigniter voluerit honorare. Iam dictabat mihi ſpiritus non irritas me preces fudiſſe, atque adeò terminum exilij mei non longè abeſſe. Quare, vt ad momentum illud, ex quo pendet æternitas, accuratè me compararem, ſtatuebam, omnibus aliis rebus excluſis, vni me Dilecto meo quàm accuratiſſimè coniungere. Quam deliberationem coram ipſo etiam profeſſa ſum. Iam ergo APPREHENDAM TE, dicebam, firmo & amicabili

cabili complexu, ET DVCAM IN DOMVM MATRIS MEÆ, vbi mera & ſolida quies erit, ne quis interueniat, qui me à dulci tecum negotiatione ſtudeat auocare. IBI ME DOCEBIS diſcipulam Magiſter, qui vera es Sapientia, quo pacto hunc numquam anteà tritam pedibus meis viam ſine periculo tutò ſim tranſitura. Etenim etſi ego alijs hactenus magiſtra fuerim, hîc non poſſum non formidare, ne in exitu aduerſarius ſcandalum ponat, cui ſolitum eſt calcaneo inſidiari; & tum violentiùs irruere, cùm ſcit, quia modicum tempus habet. Quocircà neceſſe habeo ad te eò maiori cum ſtudio confugere, quò periculum vicinius intueor. Ibi ET ego DABO TIBI POCVLVM EX VINO CONDITO: offeram enim contemplationem, quam potero, eleuatiſſimam, varijs affectuum aſpirationibus, tamquam vinum varijs aromatum condimentis in gratiſſimam dulcedinem alteratum. Dabo ET MVSTVM MALORVM GRANATORVM MEORVM, offeramque tibi quidquid virtutum in ſanctâ fuerim conuerſatione aſſecuta. Neque ego alium vmquam benè agendi ſcopum mihi propoſitum aut habui, aut habere potui, quàm vt in extremo hoc tranſitu viam mihi ad te, qui ſummum & ſolum bonum meum es, quàm tutiſſimam redderem.

Intereà mortis præcursorem morbum persentiscere cœpi,& agnoui inuitationem: &,Ecce,dicebam, LÆVA EIVS SVB CAPITE MEO est: nam vt à corporeo morbo nihil aliud boni expectari possit, certè omnia quę carnem & sanguinem, atque adeò omnia temporalia spectant, quibus aliàs animus facilè in deuia abriperetur, in morbo faciliùs vilescunt & contemnuntur. Acceptabam ergo tesseram & pignus amoris eius, qui mihi facilè fiduciam consequendæ paulò pòst æternæ felicitatis adferebat, vbi DEXTERA ILLIVS AMPLEXABITVR ME, quæ omnibus me vndique bonis circumfundat, & cumulet. Licet paulò antè Dilecto meo nihil poteram gratius præstare, quàm vt subinde ad alias me conferrem; iam tamen nolebat me earum causâ vel in minimo ab se diuelli: quapropter & illis minitabundus interdicebat: ADIVRO VOS FILIÆ IERVSALEM, NE SVSCITETIS, NEQVE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM, DONEC IPSA VELIT. Ne autem mirum alicui sit, quòd iam, vt anteà, capreas ceruosque camporum in adiuratione suâ non nominauerit; ratio est, quòd filiæ hæ iam eò prouectæ erant, vt satis esset etiam nullâ appositâ pœnâ voluntatem Regis intellexisse. Iam ergo sanctam meam solitudinem, & in eâ contemplationem meam

rursus

rursus admirãtes,& quasi in aliam me personam mutatam significantes, QVÆ EST ISTA, dicebant inter se, QVÆ ASCENDIT DE DESERTO, rebus humanis, vt videtur, nuntium remittens, DELICIIS cæleſtibus AFFLVENS, & INNIXA SVPER DILECTVM SVVM. Nam & si bonis operibus sit cumulatiſſima, quæ meritò bonam illi fiduciam parere poſſint: tamen non tam in illis, quàm in abundanti super omnia miseratione diuinâ spem suam videtur collocare, illique tamquam solidæ basi inniti.

NOTÆ.

QVIS MIHI DET TE FRATREM MEVM, SVGENTEM VBERA MATRIS MEÆ, VT INVENIAM TE FORIS, &c.] *Tres Patres apud Theodoretum*: Quoniam prior aduẽtus tuus me ad te perfruendum præparauit; ecquis tribuat mihi secundo aduentu tuo te Dilectum meum nobiscum in Patris regiâ (quæ fidelium eſt mater superna Ierusalẽ) nouum bibentem poculum? quod ex ipsâ in nos per gratiam sine medio, quasi lac ex matris vberibus in filios ipsius fluat, atque ita salutem animarum noſtrarum nutriat, finemque fidei præbeat, nempe bonorum, quę supra naturam sunt, communionem, & diuinam illam ac incredibilem voluptatẽ, quam ipse naturaliter obtinens dignis coniunctus per gratiam impartitur. Sic enim inueniens te foris suauiabor. * * * & nemo despiciet me, licet nunc à mundi sapientibus spernar, quòd propter amorem tuum caduca cuncta contemnam.

APPREHENDAM TE, ET DVCAM IN DOMVM MATRIS MEÆ.] *Philo Carpathius:* Mater hominis & carnis eius, terra est omnino: promptuarium verò vel penus quod ipsum colligit ac fouet, eadem tellus est, secundùm illud: Terra es, & in terram reuertêris. Huius penu vel promptuarium mors est: vt enim promptuarij in loco thesauri reconduntur, sic & in mortem animæ iustorum requiescunt, & ad perpetuæ vitæ felicitatem & gloriam transferuntur. *Nota, istum Doctorem legere,* Introducam in domum matris meæ, & in promptuarium eius quæ me collegit.

S. Ambrosius Serm. 17. *in Psal.* 118. Fortassis domus est, quæ præfulget mortalium disciplinâ: secretum autem istud est, in quo sunt altiora mysteria.

IBI ME DOCEBIS.] *Anselmus:* Ibi me docebis, quia ego aperiam os, & tu illud adimplebis, sicut promisisti.

☞ *Venerabilis Beda lib. 6. huc applicat quod Christus dixit:* Hæc in prouerbiis locutus sum vobis; venit hora, cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis: id est, palàm Patrem ostendam vobis.

ET DABO TIBI POCVLVM EX VINO CONDITO, &c.] *Tres Patres apud Theodoretum:* Capiam te qui mihi diuinitatem largiris, cupida splendoris tui, in eoque contemplando introducam te in mentem, quæ domus est Spiritus sancti, à quâ vt à matre per Baptismum genita sum. *** Ad hæc tibi sitienti salutem meam, quasi poculum quoddam, offeram perpetuam tui, qui veritas es, cognitionem, ex compositione diuersarum rationum, quæ in omnibus creaturis, Scripturaque sunt, instructam &

con-

concinnatam. Hæc enim tamquam vinum odoratum lætificat cor, lætitiâque aſpergit animas, à quibus percipitur, perennemque mihi tui vt ſummi boni amorem infundit, ex pręſtantiâ amoris tui, & deſiderij te perfruendi: quorum quidem tamquam malorum punicorum alter acerbitate ſuâ comprimit, alterum dulcedine oblectat.

S. Hieronymus in cap. 12. *Zachar. iuxta finem ita hunc locum legit:* Potabis me ex vino vnguentarij, de vino malorum. *ita exponit:* Huiuſcemodi potio non ſolùm æſtus ſtomachi fugat, ſed & corruptum ventrem ſanare dicitur, & reliquis prodeſſe viſceribus. Nihil hoc pomo pulchrius: in rubore Eccleſiæ ſignificat verecundiam, in granorum ordine gradus, & membra totius corporis per ſingula officia diſtributa.

LÆVA EIVS SVB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIVS AMPLEXABITVR ME.] *Conuenit probè cum eâ, quam in Paraphraſi attulimus, expoſitione, id quod Gloſſa interlinearis habet in Geneſis cap.* 13. *v.* 9. *vbi aduerſitates temporales per læuam exponuntur. Verùm tum hæc, tum ea quæ proximè ſequuntur, anteà explicata, hîc iterùm multis declarari non egent.*

QVÆ EST ISTA, QVÆ ASCENDIT DE DESERTO, DELICIIS AFFLVENS, INNIXA SVPER DILECTVM SVVM.] *S. Ambroſius lib. de Initiandis, c.* 7. Hæc vementa [*candida initiatis dari ſolita*] cernentes filiæ Ieruſalem, ſtupefactæ dicunt: Quæ eſt hæc, quæ aſcendit dealbata? (*ita enim legit.*) Hæc erat nigra, vnde nunc ſubitò dealbata? *Et lib. de Iſaac cap.* 8. Superiùs dixerunt: Quænam eſt hæc proſpiciens tamquam diluculum, ſpecioſa ſicut luna, electa vt ſol? Hîc plus quod diceretur inuentum eſt, eò quòd

Verbo Dei innixa aſcenderat. Perfectiores enim ſupra Christum recumbunt, ſicut & Ioannes in Chriſti pectore recumbebat. Ita ergo & hæc vel incumbebat in Chriſtum, vel ſupra ipſum ſe reclinabat; aut certè, quoniam de nuptijs loquimur, iam quaſi tradita in Chriſti dexterâ, in thalamum ducebatur Sponſo.

SECTIO II.

Sulamitis docetur ſe ad tranſitum comparare.

TEXTVS, *ex cap. 8. verſ. 5. 6. 7.*

5 SVB arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua. 6 Pone me vt ſignaculũ ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum. 7 Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuę pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.

PA-

PARAPHRASIS.

EXCLVSIS itaque aliis, & quaſi ſolus cum ſolâ agens Dilectus, vtili & opportunâ admonitione me ad exitum ſecurè præparandum inſtruxit: SVB ARBORE, inquiebat, MALO SVSCITAVI TE. Cogita tempus illud, præamata Sulamitis, quo me malo inter ligna ſiluarum comparaſti; ac meâ ſub vmbrâ ſedens, dulces gutturi fructus collegiſti, & guſtaſti; noueriſque ex eo, omne quidquid in te boni eſt, à me id eſſe. Cogita etiam quomodo IBI CORRVPTA EST MATER TVA, IBI VIOLATA EST GENITRIX TVA, humana natura, quam de terrâ habes: omnis quippe caro corruperat viam ſuam. Meum ergo beneficentiæ munus agnoſcas, & profitearis, quòd, vnde mors oriebatur, inde etiam vita reſurrexerit. Habes hîc vnde te humilies, cogiteſq; quid ex te ſis: nimirum priùs damnata, quàm nata. Habes etiam vnde in mei amorem conſurgas, ſi aduerteris, quanti æſtimandum ſit, meâ te morte ab interitu vindicatam eſſe, & in tantum bonum quaſi ex ſeruitute miſerrimâ in ſummam libertatem aſſertam. Habes denique vnde confidas me tibi iam in extremo non defuturum, quam in ingreſſu & progreſſu, præter, imò contra omne meritum tuum,

tuum, tam liberaliter tot tantiſque beneficiis cumulaui. Neque enim iam minori erga te amore afficior, quàm cum te primùm ex fœdiſſimis peccati ſordibus erigerem & ſubleuarem. Sancta enimuerò & ſalubris eſt cogitatio, vt ita tecum ratiocineris: Si cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius; multò magis reconciliati, ſalui erimus in vitâ ipſius. Quapropter iam quoque PONE ME VT SIGNACVLVM SVPER COR TVVM, VT SIGNACVLVM SVPER BRACHIVM TVVM. Omnia cogitata, dicta, factáque tua ad meum beneplacitum, quaſi ad lapidem Lydium examina, & excute. Quidquid in te boni reperis, meis id coniunctum meritis æterno Patri offer: gratiæ enim cęleſtis donum eſt, quòd veſtra ex meis valorem ac dignitatem conſequuntur. Quare agè hoc quaſi acceptabili ſigillo opera tua exorna. Ita enim fiet vt omnia tibi in bonum cedant, imò & vires augeri tibi ſenties, vt ne ipſam quidem mortem, quam omnium terribilium maximè terribilem vocant, formides: QVIA FORTIS EST, VT MORS, DILECTIO. Eſto ſanè, ſeparet illa à corpore animam; hæc animam ne in ipſâ quidem morte à Deo, vnde veram illa & immortalem vitam conſequitur, ſeparari permittet. Neque etiam gehennæ flammas formides: ſi enim amo-

amorem meum amore tuo, dolorem dolore tuo, mortem morte, piâ quadam æmulatione compenſare ſtudueris; vt tua meis infinitum quantum inæqualia ſint, tamen non eſt quòd damnationem metuas: DVRA enim erit, SICVT INFERNVS, illa ÆMVLATIO: neque eius tormenta vllo modo in te locum habere poterunt, vbi ille amor, pati quidlibet ex diuinâ voluntate promptus, ſedem ſibi vindicarit. Vrit in inferno ignis, ſed & amor hic faces ſuas habet: LAMPADES EIVS, LAMPADES IGNIS ATQVE FLAMMARVM: flammarum, inquam, lucentium, non vrentium; eius tamen vigoris & efficacitatis, vt ignes infernales planè ab amicis meis propulſet. Verùm dolores illi, illæque anguſtiæ, quæ vicinam mortem præire ſolent, nonnullis terrorem incutiunt: ſed neque te hęc moueant, Sulamitis mea. AQVÆ MVLTÆ, maria quodammodò vexationum & tormentorum dixerim, quibus à tyrannis excarnificari ſolent Martyres fortiſſimi, NON POTVERVNT EXTINGVERE CHARITATEM: quare nec in te etiam FLVMINA, licet magna, multò tamen illis minora, OBRVENT ILLAM; nimirum me eodem, quo illis adfui, more tibi etiam vires ſuppeditante. Quapropter vnâ charitate benè animo infixâ, omnia quæ ſubſequentur erunt ſuperatu facilia. Deniq; neque

que te moueant aut amicorum consuetudines iam deserendæ, aut illarum rerum, quibus iam assueuisti, iacturæ: charitas, charitas sola abundè omnia compensabit. Hęc est illa margarita, quam prudens negotiator omnibus suis diuenditis sapiēter emit: nam eius valoris est, VT SI DEDERIT HOMO OMNEM SVBSTANTIAM DOMVS SVÆ PRO DILECTIONE, QVASI NIHIL reputabit, & DESPICIET EAM. Quæque relinquere fortè iam durum videbitur; reliquisse tamen, & ita reliquisse gaudebit. Suadebat ergo sapientissimus & fidelissimus Amator meus, vt instante morte nullis affectibus & internis animi actibus adeò incumberem, vt illis quæ charitatem accenderent; illam enim contra omnes oppugnationes & infestationes præsidium fore validissimum.

NOTÆ.

SVB ARBORE MALO SVSCITAVI TE.] *S. Gregorius*: Quid per arborem malum, nisi sancta crux designatur? quæ malum illud sustinuit, de quo etiam Sponsa in superioribus dicit: Sicut malus inter ligna siluarũ, sic Dilectus meus inter filios. Sed Spōsam suam Christus sub arbore malo suscitauit, quando in cruce positus subditam sibi Ecclesiam ad vitam vocauit, vt à somno mortis resurgeret, & cum illo se crucifigens ad nouam resurrectionem properaret. Vnde & Apostolus cuiusanimæ mor- *Ephes. 5. v. 10.*
tuæ dicit: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illu-

illuminabit te Christus. Et quibusdam qui iam surrexerunt, alibi dicit: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. *Coloss. 3. v. 1.*

IBI CORRVPTA EST MATER TVA, IBI VIOLATA EST GENITRIX TVA.] *Anselmus in hunc locum ita scribit:* Legitur in libris Græcorum, quòd de eâdem arbore, in quâ peccauit Adam, ramus quidam allatus fuerit Ierosolymam, & ibi plantatus excreuerit in arborem, de quâ posteà facta est crux Domini; vt ex quo mors venerat, ex eodem vita repararetur. *Ita ille: de historiæ eius veritate non disputo; hoc noto, quòd in loci huius expositione nobiscum conueniat. Pari ratione S. Iustus Orgelitanus*: In odorifero crucis patibulo, vbi ego occubui, illic te à peccatorum interitu suscitaui. *Vide Aponium, & Rupertum hîc.*

Theodoretus paulò aliter: Hæc, *inquit*, verba nobis intellectu facilia erunt, si quæ huius voluminis initio à Sponsâ dicta sunt meminerimus. Sic enim Sponsa loquebatur: In vmbrâ illius desideraui, & sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Quoniam igitur futurorum bonorum vmbra sunt ea quæ nobis hîc data sunt; (Nunc enim, inquit Beatus Paulus, video sicut in speculo, sicut in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.) concupiuit Sponsa in vmbrâ Sponsi sedere, hoc est in arrhâ nunc concessâ.

PONE ME VT SIGNACVLVM SVPER COR TVVM.] *S. Gregorius lib. 29. Moral. cap. 4.* Idcircò signaculum in rebus ponitur ne quâ diripientium præsumptione temerentur. Sponsus ergo signaculum in cor ponitur, quando fidei eius mysterium in custodiam nostræ cogitationis imprimitur: vt ille infidelis seruus, nimirum noster aduersarius, cùm firmata

mata fide corda conſiderat, tentando ea irrumpere non præſumat.

S. Hieronymus Epiſtola 22. ad Euſtochium circa finem: Quotieſcumque te vana ſæculi delectauerit ambitio, quoties in mundo videris aliquid glorioſum, ad paradiſum mente tranſgredere; incipe eſſe quod futura es, & audies à Sponſo tuo: Pone me ſicut vmbraculum in corde tuo, ſicut ſignaculum in brachio tuo, & corpore pariter ac mente munita, clamabis & dices: Aquæ multę non potuerunt exſtinguere charitatem, & flumina non operient eam.

Theodoretus: Sponſus ad animas, quas Sponſam vocat diuina Scriptura, Pone me, inquit, pro ſignaculo in corde tuo, & ſuper brachium tuum. Cor quidem appellat animæ vim contemplatiuam, brachium actiuam. * * * Vult ergo Saluator noſter, vt eum pro ſignaculo in contemplationibus & actionibus noſtris habeamus, & notam ipſius in omnibus noſtris tum dictis tum factis imprimamus.

QVIA FORTIS EST, VT MORS, DILECTIO.] *S. Auguſtinus in Pſal.* 121. Magnum verbum, fratres, Valida eſt ſicut mors dilectio. Magnificentiùs exprimi non potuit fortitudo charitatis, quàm vt diceretur, Valida eſt ſicut mors dilectio. Quis enim reſiſtit morti? Fratres, intendat charitas veſtra; reſiſtitur ignibus, vndis, ferro, reſiſtitur poteſtatibus, reſiſtitur Regibus. Venit vna mors, quis ei reſiſtit? Nihil eſt illâ fortius. Proptereà viribus eius charitas comparata eſt, & dictum eſt, Valida eſt ſicut mors dilectio. Et quia & ipſa charitas occidit quod fuimus, vt ſimus quod non eramus; facit
Galat. 6. in nobis quamdam mortem dilectio. Ipſâ morte
v. 14. mortuus erat, qui dicebat: Mundus mihi crucifixus
eſt,

eſt,& ego mundo. Ipſâ morte mortui erant, quibus dicebat: Mortui enim eſtis,& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. *Coloſ. 3. v. 3.*

Tres Patres apud Theodoretum: Fortis eſt, vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. hoc eſt, Si in charitate meâ permanſeris, & ego in te permanebo, & conſeruaberis, vt dictum eſt: nam integra atque perfecta erga me charitas tam fortis eſt, vt mortis inſtar omnes ad malum motiones & motus ſedet: æmulatio autem propter me malo non cedit; ſed, tamquam infernus, rationi repugnantes motus vincit, vinctoſque, ne progredi poſſint, coërcet.

Anſelmus: Ideò debes me ponere ſuper cor tuum, quia dilectio mea fortis eſt, ſicut mors: ſicut enim mors non poteſt impediri, quin veniat; ita dilectio Dei non poteſt aliquâ perſecutione impediri, quin ſaluationem faciat, vt deducit S. Paulus Rom. 8. Vel ſicut mors deſtruit corporeos ſenſus, ita dilectio Dei: qui enim dilectione Dei benè occupatus eſt, non iam trahit ex riſu aliquam delectationem carnis, neque ex ceteris ſenſibus. Vel ſicut mors, id eſt diabolus, qui eſt cauſa mortis: ſicut enim diabolus inimicibiliter damnationem infert, ita dilectio Dei ſaluationem. Æmulatio, id eſt, effectus charitatis; ſcilicet efficere ea quæ dilectio exigit, ſunt dura & importabilia carni: ſicut infernus, id eſt, inſatiabilis eſt illa æmulatio: nulli enim, in quo abundat dilectio, videtur ſatis ſua dare, vel cetera facere quæ exigit dilectio; imò ſemper vellet plura facere. *Rom. 8. v. 35. & ſeq.*

Vide etiam huius loci expoſitionem apud S. Ambroſ. Ser. 19. in Pſal. 118. Philo Carpathius: Talem

decet habere charitatem in Sponſum, vt præ veræ dilectionis magnitudine, & pro veritate tuendâ mortem contemnat corporis, & duriſſimos quoque cruciatus euincat, dicente Scripturâ: Vſque ad mortem pro veritate decerta.

LAMPADES EIVS, LAMPADES IGNIS, ATQVE FLAMMARVM.] *Venerabilis Beda lib.6.* Lampades ſunt ignis atque flammarum: ignis videlicet in eâdem charitate, quâ ipſi intrinſecus feruent; flammarum verò in operatione iuſtitiæ, quâ cum aliis longè lateque clareſcunt. Annon lampades ignis ſe eſſe prodebant, qui dicebant: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas? Annon lampades flammarum voluit nos eſſe Dominus, quibus ait: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona?

Anſelmus: Ita deſcribit naturam dilectionis, quaſi dicat: Ad illam dilectionem feſtinare debetis, quia lampades eius, id eſt, ardores huius dilectionis, ſunt ſicut lampades ignis, id eſt ardores ſancti Spiritus: & hoc eſt, quod dicit, ignis: ſicut enim ignis calorem miniſtrat, ita Spiritus ſanctus æſtum dilectionis. Et quia poſſet eſſe ignis, qui non luceret, dicit, Atque flammarum: id eſt, tales ſunt lampades dilectionis, vt etiam luceant; ſcilicet illi, qui habent has dilectiones, lucent aliis, quia alios illuminant verbo & exemplo.

AQVÆ MVLTÆ NON POTVERVNT EXTINGVERE CHARITATEM, NEC FLVMINA OBRVENT ILLAM.] *S. Gregorius loquens de Martyribus ait:* Hanc charitatem aquæ multæ extinguere non poterant, quia quantęcumque eis (*Martyribus*) tribulationes

lationes fierent, ad odium eos transmutare non valebant. Hoc nimirum est charitatem extinguere, si in tribulationibus quas ingerebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuissent.

Philo Carpathius: Cælestis ignis non aquarum fluctibus, non fluuiorum impetu, non vllo ventorum turbine, extingui potest; quin flatibus aduersis indies magis ac magis accenditur, inflammaturque vehementiùs.

SI DEDERIT HOMO OMNEM SVBSTANTIAM DOMVS SVÆ PRO DILECTIONE, QVASI NIHIL DESPICIET EAM.] *Rupertus Abbas lib.* 7. Tanta inest ei dilectio verbi, vt in comparatione talis margaritæ, quam intus retinuit, quasi nihil despiciat omne quod foris auferri potest.

Anselmus: Commendat dilectionem hanc, vt fortiter nos inuitet ad eam conseruandam, cùm dicit talem esse hanc, pro quâ si det aliquis omnem substantiam, id est, vniuersam possessionem, & insuper se ipsum, despiciet eam, id est despicabilem iudicabit, ad comparationem quam obtinebit. *Vide & Bedam.*

SECTIO III.

De curá commissarum animarum respondente huic statui.

TEXTVS, *ex cap.* 8. *vers.* 8. 9. 10.

8 SOROR nostra parua, & vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? 9 Si

murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. [10] Ego murus: & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

PARAPHRASIS.

CVM dilexisset suos, Sponsus meus, vsque in finem dilexit eos: & ego exemplo eius non destiti ad extremum vsque halitum commissum mihi gregem fidelissimo amore complecti. Quamuis ergo huius temporis ratio non permitteret me cum illis multis agere, non potui tamen Dilecto meo eas non commendare. De aliquâ igitur mihi subrogandâ cògitans, hæsi primùm, cui graue id onus committẽdum putarem. Erat quidem quæ supra alias excelleret, eratque hæc fortasse ea ipsa, quæ paulò antè tam fortiter in palmã ascenderat. Sed sciebam non temerè cuiquam, etiam benè virtutibus instructæ, animarum gubernandarum cura credendam esse, in quâ non nisi cum grauissimo periculo peccatur. Vt ergo Regem meum super hac difficultate consulerem; SOROR NOSTRA, dicebam, quam ego gubernationi magis idoneam

neam iudico, quàm quæuis alia ſit, etiam nunc PARVA eſt, necdum viribus benè roborata: (ſororis autem nomen etiam mihi tum primùm dari cœptum fuerat, cùm alijs præficerer:) inſuper ET VBERA NON HABET, vt lactandis alijs par non ſit. Quocircà graue mihi videtur, & illam ſupra vires onerare, & alias in curam minùs idoneæ relinquere. QVID ergo FACIEMVS SORORI NOSTRÆ IN DIE QVANDO ALLOQVENDA EST? cumque aliæ eam ad præfecturam vrgebunt? Neque enim par eſt, eas ſicut oues ſine paſtore relinquere. & ex alterâ parte duriſſimum eſt, eam, quæ hactenus diligentiſſima fuit, manifeſto lapſus periculo exponere. Itaque licet me æterna beatitas iam quaſi de propinquo inuitaret; tacitè tamen cum fideliſſimo paſtore dicere videbar: Domine, ſi adhuc ſum populo tuo neceſſaria, non recuſo laborem. Sed nō permiſit me diu angi Dilectiſſimus meus: & blando ſermone, Mihi, inquit, ſodes curam illam committe, Sulamitis mea, alterum enim ex his duobus omnino eueniet: aut ſufficiens erit gubernaculo, ita vt alias conſeruare & tueri, atque pro muro & mœnibus eſſe poſſit, ac communem iniuriam propulſare; aut non, ſed ſatis habebit ſibi vni vacare. Si primum, id eſt, SI MVRVS EST, ÆDIFICEMVS SVPER EVM

PROPVGNACVLA ARGENTEA : vt non minùs munitioni, quam ornamento ſint; neque id ſupra facultates meas, aut ſupra vires erit. Etenim ego ipſe ædificationi & ſtructuræ me accingam, vt & fortiſſima ſimul & ornatiſſima ſint; & tu etiam hîc cooperaberis, vt de ſpiritu tuo illa repleatur: non ſecùs atque ſeptuaginta ſeniores de ſpiritu Moyſis acceperunt. Sin autem tantum initio præſtare non poſſit; ſed SI OSTIVM EST, priuata tantùm domus ſuæ cuſtodiam valens ſuſtinere, COMPINGAMVS ILLVD TABVLIS CEDRINIS: vt ſe ſibi ipſi diligentiùs etiam quàm anteà impendat, breui haud dubiè tantos factura progreſſus, vt quod iam non valet, id mox abundè poſſit implere. Filia interim illa mea, de quâ nobis hîc ſermo erat, notabat ſatis me de ſe ſolicitam eſſe: cumque mei amore plena eſſet, quantum in ſe erat, me ſecuram reddere ſatagebat; quare ad me: Noli quæſo meâ te cauſsâ multùm affligere hoc tempore, Mater mea; ero vltrà quam ſperas. EGO MVRVS, & communi me hoſti ad omnium defenſionem alacriter opponam, feramque animosè omne quod ferendum obueniet: quin ET VBERA MEA, ne quid alijs deſit, iam intra exiguum tempus facta ſunt SICVT TVRRIS: quam mutationem in me ex eo deprehendi, EX QVO FACTA SVM CO-

RAM

RAM EO, QVASI PACEM REPERIENS: vt enim intra Pacifici tui, & iam etiam mei, dilecti familiaritatem recepta fui, breui ſpatio ad admirationem etiam meam in virtutum ſtudio profeci.

NOTÆ.

SOROR NOSTRA PARVA, ET VBERA NON HABET.] *S. Gregorius:* De nouâ & tenerâ adhuc Eccleſiâ, vel vnaquaque animâ, conſequenter dicitur: Soror noſtra parua eſt, & vbera non habet. Sororem Chriſtus Eccleſiam vocat, quia de ipſis Apoſtolis dicebat: Ite, dicite fratribus meis. Soror autem paruula, vbera non habebat, quando in ſolis Apoſtolis Eccleſia erat, in quibus ſe ipſam vel alios nutrire lacte prædicationis non poterat. Quid enim Petrus aliis prædicaret, cùm ſe ipſum eſſe diſcipulum Chriſti, in vnius ancillæ voce, deteſtando & iurando negaret? *Ita ille ſecundùm allegoriam: quod tropologicè, quem ſenſum etiam initio inſinuat, Sulamitidi noſtræ, vt in Paraphraſi factum eſt, benè poteſt accommodari.*

QVID FACIEMVS SORORI NOSTRÆ IN DIE QVANDO ALLOQVENDA EST.] *Theodoretus:* Quādo Rex ſororem noſtram iam in Sponſam eſt accepturus, quę parua eſt, & vberum expers; *** nec doctrinæ lac aut ſolidum cibum poteſt egentibus ſubminiſtrare; quid facto opus ſit, nobis eſt cogitandum.

SI MVRVS EST, ÆDIFICEMVS SVPER EVM PROPVGNACVLA ARGENTEA.] *Honorius:* Si anima illa murus eſt, id eſt, ſi velit eſſe ſtabiliter in cōgregatio-

ne,ædificemus ſuper illam propugnacula argentea, hoc eſt,inſtruamus eam ſententiis eloquentiâ lucidis,quibus ſe à tẽtationibus muniat, & alios ſe abſtinere à vitijs doceat. *Idem in Sigillo B. Mariæ:* Si murus eſt,*&c.* Ædificabo eam in virtutibus vt murum contra vitia vndique munitam. Et hoc per propugnacula argentea,id eſt, per Scripturas nitentes eloquentiâ.

Philo Carpathius: Si murus eſt, ædificabimus in eâ pinnas argenteas : per pinnas, mores ſanctos & excellentes,niſi fallor,intelligit;**** præcepta illa ſalutaria Sponſi, argenti & auri inſtar lucentia atque ignita.Eloquia enim Domini, eloquia caſta, argentum ignitum,probatum, terræ purgatum ſeptuplum. Quòd autem plurali numero dicit, Ædificabimus ; vel trium perſonarum differentiam in vnâ eademque ſubſtantiâ atque naturâ Deitatis oſtendit, & vniuerſam Trinitatem redemptionem Sponſæ operatam eſſe declarat: * * * vel quòd Eccleſia ipſa ex pluribus membris compacta eſt & confirmata.

Rupertus Abbas: In ciuitatibus vel domibus aliud murus eſt,aliud oſtium.***Si murus eſt,ait, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea : id eſt, ſi dignè poteſt ſtare vel permanere pro fide in agone certaminis, ſuggeramus illi quæcumque neceſſaria ſunt veritatis teſtimonia.

SI OSTIVM EST, COMPINGAMVS ILLVD TABVLIS CEDRINIS.] *Idem ibidem:* Qui non tantæ fortitudinis eſt vel tolerantiæ, vt tormenta paſſionis ſuſtinere poſſit ; attamen illius eſt officij ſiue deuotionis, vt viam vel introitum fideliter faciat volentibus introire in regnum Dei, baptizando, vel catechizando

chizando illos verbo Dei. Faciamus, vt ſit memoriæ imputreſcibilis, atque ſuauis, ſecundùm ſimilitudinem cedri, ligni odoriferi atque imputreſcibilis. *Ex hiſce eamdem ferè proportionem aduertis quam nos in Paraphraſi poſuimus.*

EGO MVRVS: ET VBERA MEA SICVT TVRRIS, EX QVO FACTA SVM CORAM EO QVASI PACEM REPERIENS.] *Idem:* Primùm quidem cùm alloquenda eſſem, & de noſtrâ fide ſecundùm charitatem tuam reſpondere inciperem, paruula eram, ſicut dicis, Dilecte mi, & vbera non habebam: ſed nunc murus ſum, & vbera ſunt mihi non qualiacumque, ſed ſicut turris. * * * Non autem hoc ex me ſum, ſed ex gratiâ Dilecti: propterea & iſtud ſubiunxi, Et quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.

Honorius Auguſtodunenſis: Anima doctrinis Prælatorum, vt lapidibus opificum, ædificata, & exemplis Patrum ornata, clamat ſæcularibus: Vos qui in ſæculi negotijs laboratis meo exemplo, quaſi per oſtium ad ſpiritualis vitę requiem intrate. Quia ego priùs vobis ſimilis, in peccatis labilis, facta ſum vt murus in ſpiritualibus ſtabilis: & vbera mea, id eſt doctrina vitæ meæ, vt turris inexpugnabilis, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens; id eſt, ex quo me de tumultu ſæculi ad quietem clauſtralem contuli: quaſi enim in fremitu bellorum deſudat, qui inter aduerſa mundi & carnis illecebras laborat; ſed quaſi pacem coram Deo reperit, dum in ſpirituali vitâ requieſcit: quam pacem plenam habebit, quando nullam pugnam inter carnem & ſpiritum ſentiens, in æternâ pace gaudebit.

SECTIO QVARTA ET VLTIMA.

Sulamitis reddit vltimam rationem villicationis suæ, & transfertur in gloriam.

TEXTVS, *ex cap. 8. vers.* 11. 12. 13. 14.

11 VINEA fuit Pacifico in eâ quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir adfert pro fructu eius mille argenteos. 12 Vinea mea coram me est. Mille tui Pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius. 13 Quę habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam. 14 Fuge, Dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum.

PARAPHRASIS.

DECVRSO tandem vitæ meæ stadio, & laboribus totius peregrinationis meæ eo modo, quo iam dixi, distributis; tempus aderat, quo impensæ operæ mercedem reciperem, & tam accepti quàm expensi rationem redderem. Accepta ergo ita se habebant: VINEA FVIT PACIFICO, id est Salomoni, IN EA QVÆ HABET

BET POPVLOS. Baalhamum intellige, à populi frequentiâ dictum; qui locus & Engaddi vocatur, & vinearum fertilitate, ac Maris mortui viciniâ, vtriusque fortunæ indicia præferens; quare optimè præsentis vitę figuram refert: vt enim in cælo nullus pœnæ metus, & in inferno nulla vllius boni spes; ita hîc spemque metumque inter viuitur, nec vtriusque exempla eminus quærenda. Illud ergo dico: Salomoni in hac vitâ vinea fuit: TRADIDIT EAM CVSTODIBVS: inter quos & mihi non perfunctoria neque leuis eius cura commissa fuerat. VIR fortis & diligens colonus ADFERT PRO FRVCTV EIVS MILLE ARGENTEOS. Denarius numerus plenus est, centenarius maximus; at verò millenarius tantus vt omnem existimationem superet. Tanti est diuino seruitio in hoc mundo gnauiter insudasse. Vt ergo ego iam quasi rude donanda missionem acciperem, eamdem illam vineam illi in manus consignaui. Tum Salomon: Benè habet, inquit, VINEA MEA CORAM ME EST: de summâ nihil decessit; & quod ad fructus attinet, neque in illis quidquã desidero: inuenio enim, Sulamitis mea, quantum expectare potui. Ecce MILLE TVI PACIFICI. Superest, vt te etiam laborum tuorum mercede non fraudem. Merces autem iusta est, vt ET DVCENTI

HIS

HIS sunt, QVI CVSTODIVNT FRVCTVS EIVS: idque eâ, quâ tu fecisti, diligentiâ præstant. Numeri autem ratio constabit, si aduertas ex agri fertilissimi culturâ fructum centenarium recipi; qui in te duplicatur, quòd qui
1. Tim.5 benè præsunt, duplici honore digni habeantur. Præmio itaque amplissimo mihi constituto, vt Sponsus meus me non tam morte mulctasse, quàm ad præmium admisisse videretur, noluit me nisi præuiâ petitione meâ hinc auocare. Quare iterùm ita mihi locutus est: O tu QVÆ hactenus HABITAS IN HORTIS, illisque excolendis plurimùm laborasti, tempus iam est, vt ab illo labore ad requiem transferaris, ecce AMICI tui Angeli, ijque omnes, quos iam antè in cælum merita extulerunt, AVSCVLTANT, vt iam ad me recipi petas; quod ipsi desiderium orationibus suis iuuent: optant enim, vt simul cum ipsis dulce illud & cæleste Alleluia canas. Eia ergo, FAC ME AVDIRE VOCEM TVAM: pete iam tandem à mari in portum, ab exilio in patriam, à bello in triumphum, à terrâ in cælum transferri: neque enim ego inuitam abripiam, sed volentem petentemque coronabo. Tum ego peregrinationis meę propinquum terminum conspiciens, & suauiter cælestem complexa Sponsum, nec vmquam in totâ æternitate ab ipso separanda, Fac de me,

me, dicebam, vt vis: & quando ita infinitæ & ſuperbenedictæ Maieſtati tuæ viſum fuit, vt meam etiam in hoc aſſenſionem requiras, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. FVGE mecum DILECTE MI, meque tecũ quàm celerrime hinc abripe: ASSIMILARE CAPREÆ HINNVLOQVE CERVORVM, & felici ſaltu transfer me SVPER MONTES AROMATVM; quò nimirum aromata, id eſt, opera dulcem laudis tuæ odorem ſpirantia præmiſi, eis iam feliciter fruitura. Dictum, factum. Abſtulit me, tranſtulitque in illam beatitatem, quam neque oculus vidit, neque auris audiuit, quæ neque in cor hominis aſcendit: vbi nimirum ipſe Salomon, cæleſtis Sponſus meus, cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

NOTÆ.

VINEA FVIT PACIFICO IN EA QVÆ HABET POPVLOS.] *S. Gregorius in Pſal. 5. pœnitentialem:* Bona vinea, quæ vuarum decorata coloribus, & dilectionibus, ac perſeuerantiæ palmitibus propagata, Regi omnium ſuauem in fructibus ſuis hauſtum præbet. Bona vinea, quæ dicere poteſt: Vinea fui Pacifico, in eâ quæ habet populos. Quæ eſt illa quæ habet populos, niſi ſancta Eccleſia per totum orbem diffuſa? Illa namque habet populos, quia ex omni parte terrarum rectè credentes continet. In hac ergo ſolummodò electus quiſque vinea efficitur, quia nullum aliquando fructum ferre poterit qui ab vnitate Eccleſiæ recedit.

Theo-

Theodoretus: Sponſa Salomoni, hoc eſt Pacifico, vinea fuit in Beleamon, id eſt retentione populi, vel in habente multitudinem: (*harum explicationum alteram notat Symmachi eſſe, alteram Aquilæ*) & tradidit eam cuſtodibus. Vineam autẽ vocat homines, qui ad pietatem acceſſerunt; ſeruantes verò, & colẽtes, & cuſtodientes eos, qui ſacerdotali funguntur munere, quibus mandatũ eſt, vt eam ſpiritali doctrinâ ſimul irrigẽt & tueantur. *Vide Bedam:*

S. Iuſtus Orgelitanus: Vinea fuit Pacifico: cultura aſſidua adhibita fuit à Chriſto in Eccleſiâ, quæ
Pſal. 91. v. 14. illos habet populos, de quibus in Pſalmis canitur: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt. Tradidit eam cuſtodibus: commiſit eam regendam Apoſtolis, vel ſucceſſoribus eorum Epiſcopis: ad quam ſub nomine Ieruſalẽ dicit Do-
Iſai. 62. v. 6. minus: Super te, & ſuper muros tuos poſui cuſtodes tuos; totâ die & nocte vſq; in finẽ non tacebũt.

Rikelius Art. 26. Vnaquæque anima virtuoſa, Sponſa eſt Chriſti, & ager eius, domus, thronus, ac vinea eius; cuius botri ſunt actus virtuoſi ſpiritaliter refectiui, & charitatis feruore inebriatiui. Hæc autem anima habet populos, quia ſpiritualiter diligit proximos, & pro eorum virtute zelatur, & conatur: & ſi præſit, habet quoſdam ſibi commiſſos, pro quorum profectu ſicut proprio ſatagit.

VIR ADFERT PRO FRVCTV EIVS MILLE ARGENTEOS.] *Philo Carpathius:* Ecce merces ſanctorum: omnis enim vir ſapiens in Domino, magiſter probitatis, & doctor prudens, auditor legis & factor, in manu ſuâ portat mille argenteos; hoc eſt totius legis & mandatorum eius plenitudinem ſalutarem, ſecum in præmia defert ad patriam, in eâque

do

de fructibus manuum ſuarum comedet, ſine fine victurus & beatus in ſempiternum.

VINEA MEA CORAM ME EST.] *Hic etiam cognoſcit S. Iuſtus Orgelitanus actum iudicialem.* Vinea, *inquit*, coram me eſt, ſecundùm quod in Pſalmis canitur: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Dicit etiam Apoſtolus: Quoniam ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archangeli, & in tubâ Dei deſcendet de cęlo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi; deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis obuiàm Domino in aëra: & ſic ſemper cum Domino erimus. Igitur quia ſemper poſt reſurrectionem Sancti cum Domino ſunt, idcircò Dominus dicit: Vinea mea coram me eſt. *Pſal. 33. v. 16.* *1. Theſſ. 4. v. 15.*

MILLE TVI PACIFICI, ET DVCENTI HIS, QVI CVSTODIVNT FRVCTVS EIVS.] *Philo Carpathius:* Equidem hîc puto omne iudicium ſalutis intelligi Vnigenito permiſſum, & acta omnia generis humani diſcutiēda, iuxta illud: Pater neminē iudicat, ſed iudiciū dedit Filio. Quis enim mille habet, niſi qui ſolus perfectus eſt, & ſolus bonus? ***. Et ducenti ſeruantibus fructum ſuum; hoc eſt, ijs omnibus, qui duo præcepta charitatis, Dei ſcilicet & proximi, vt ſæpè iam diximus, ſtudioſè ſeruarunt, præmia dabuntur æterna.

Lyranus: Honor exhibendus Pręlatis conuenienter intelligitur per ducentenarium, ſecundùm illud Apoſtoli, Qui benè præſunt Preſbyteri, duplici honore digni habeantur. Inferioribus autem ſimplex centenarius promittitur reddendus, Mat. 19. Centuplum accipiet, &c. *Matth. 19. v. 29.*

Anſelmus: His qui cuſtodiunt fructus eius vt ſancti

ſancti paſtores qui prouidēt ne ſancti ſubditi amittant fructus æternitatis, ſunt ducenti argentei, id eſt, duplex pretium: ducenti enim duplex eſt ad centum. Cuſtodes autem ſanctæ Eccleſiæ duplex pretium Deo offerunt, quia & ſe immaculatos conſeruant, & alios lucrantur, & ideò duplici præmio remunerantur.

QVÆ HABITAS IN HORTIS, AMICI AVSCVLTANT: FAC ME AVDIRE VOCEM TVAM.] *Lyranus:* Amici auſcultant, id eſt Angeli, ad quorum conſortium fideles tui ſunt transferendi, & de tuâ ſalute ſolliciti deſiderant audire tuas orationes deuotas. Ideò ſubditur: Fac me audire vocem tuam, id eſt tui deſiderij expreſſionem in oratione deuotâ, quam conſequenter profert Sponſa.

FVGE DILECTE MI, ET ASSIMILARE CAPREÆ HINNVLOQVE CERVORVM SVPER MONTES AROMATVM.] *Idem:* Per hanc fugam non intelligitur receſſus Dilecti ab eâ; * * ſed per eam intelligitur velox tranſlatio Sponſæ cum Sponſo: ** Vt ſit ſenſus, Fuge Dilecte mi, & educ me tecum de miſeriâ præſentis ſæculi; & aſſimilare capreæ, id eſt, fac iſtud velociter; ſuper montes aromatum, id eſt, transferendo me tecum. *Ita Lyranus.*

S. Ambroſius lib. de Bono mortis cap. 5. Hortatur vt fugiat Sponſus, quia iam ſequi poteſt & ipſa terrena fugientem: dicit vt ſimilis ſit damulæ, quæ euadit de retibus; vult enim & ipſa euolare ſupra mundum.

FINIS.

IN-

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

T *Amo-*

Ca-

quo-

Me-

O

Spon-

est

FINIS.

FA-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

CVM Paraphrasin & Notas in CANTICVM CANTICORVM Salomonis, à P. ARNOLDO CATHIO Societatis IESV Sacerdote conscriptas, quatuor designati eiusdem Societatis Theologi legerint, probarintque, potestate ab Admodum Reuerendo Patre nostro MVTIO VITELLESCO ad hoc mihi factâ, vt typis excudantur permitto. In quorum fidem has literas meâ manu subscriptas, officij mei sigillo muniui. Antuerpiæ VII. Martij, anno M. DC. XXV.

Florentius de Montmorency.

APPROBATIO.

PARAPHRASTICA hæc in CANTICVM CANTICORVM Salomonis enarratio, Notis illustrata per R.P. ARNOLDVM CATHIVM è Societate IESV Theologum, erudita simul & pia admodum mihi visa est, vt in quâ sub prosopopœiâ Sponsę pastoritiæ, anima quæuis sancta ad summum perfectionis apicem summo studio & per opportuna media contendere docetur: Atque hunc excellentissimi huius CANTICI scopum esse, si tropologicum illius sensum, qui hîc traditur, attendimus, & neruosè & plausibiliter suadetur: Denique quantum eiusdem littera ad mores efformandos conducat, vtiliter & enucleatè expenditur. Digna proinde quæ prælo committatur, & luce donetur. Actum Antuerpiæ Cal. Iunij, anno CIↃ. IↃC. XXIV.

Laurentius Beyerlinck S. T. L. Canon: & Archipresb. Eccles. Cathed. Antuerp. & librorum Censor.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis Catholici, & Potentiſſimi Belgarum Principis Priuilegio cautum eſt, nequis ARNOLDI CATHII *Societatis* IESV *Theologi in* CANTICVM CANTICORVM *Salomonis Paraphraſin & Notas* præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſas in Belgium importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XXX. Sept. M. DC. XXIV.

Signat.

De VVitte.

[illegible]

[illegible]下[illegible]